



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Tractatus Tertius. De Angelis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

TRACTATUS TERTIUS.³¹¹ DE ANGELIS.

DISPUTATIO PRIMA.

DE EXISTENTIA ET ESSENTIA ANGELORUM.

ARTICULUS PRIMUS,

Utrum existant Angeli.



NGELOS existere, ex Ethnicis sapientibus plures agnovere, ut Orpheus apud Clementem Alexandrinum, lib. 5. Stro, ubi leguntur hæc illius carmina:

Candentique tue sedi permulta laborans

Adstat Angelicus populus, quæ maxima cura Mandata est hominum.

Et Plato in Timæo, & alibi, Angelos Dæmonas appellans. Negaverunt autem Sadducæi, ut testatur Lucas Evangelista, Act. c. 23. Sadducæi, inquit, dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum. Sed contra illos sit

R E S P O N S I O.

Existunt Angeli.

Est de fide, & prob. 1. ex Scriptura, quæ Angelos existere, clarè docet innumeris locis. Sit unus ad instar omnium, Hebr. c. 1. ubi Apostolus sic loquitur: *Ad quem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoad usque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.*

Prob. 2. Ex unanimi consensu Patrum. Pro omnibus sit S. Augustinus, enarratione in Psal. 103. ubi sic ait: *Quamvis non videamus apparitionem Angelorum... tamen esse Angelos novimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt; & cum spiritus sunt, non sunt Angeli: cum verò mittuntur, sunt Angeli: Angelus enim officii nomen est, non nature: quævis enim nature, Spiritus est: quævis officium, Angelus est. Ex eo quod est, Spiritus est: ex eo quod agit, Angelus est.*

A R T I C U L U S II.

Utrum Angeli sint substantiæ completæ, insensibiles, intellectuales, & libero arbitrio præditæ.

R E S P O N S I O I.

Angeli sunt substantiæ completæ, insensibiles.

Prob. Angeli sunt spiritus. Sed nomine spiritus, intelligitur substantia completa, invisibilis & insensibilis. Ergo, &c. Minor à nemine non admittitur. Major verò prob. 1. ex Apostolo Hebr. c. 1. ubi de Angelis loquens, ait: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus?* 2. Ex S. Augustino, enarr. in Psal. 103. Spiritus, inquit, Angeli sunt... Quævis nomen ejus (Angeli,) Spiritus est... ex eo quod est, Spiritus est. Idem planè sentiunt alii Patres.

R E S P O N S I O II.

Angeli sunt substantiæ intellectuales.

Est de fide, & prob. 1. ex Scriptura, quæ manifestè attribuit Angelis proprietates & actiones, quæ non nisi creaturæ intellectuali convenire possunt, Simonet Theol. Tom. I.

quales sunt laudare Deum: nam Psal. 148. dicitur: *Laudate eum omnes Angeli ejus.* Adorate Deum: nam Psal. 96. dicitur: *Adorate eum omnes Angeli ejus.* Et Hebr. c. 1. Cum iterum introducit primogenitum in orbem terra, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Videre intuitivè divinam essentiam: nam Matth. c. 18. dicitur: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Custodire homines: nam dicitur Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Homines alloqui, eosque instruere: nam dicitur Zacharia c. 1. *Dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi, quid sint hæc.*

Prob. 2. autoritate Patrum. Pro omnibus sit S. Augustinus, lib. 22. de Civ. cap. 1. ubi sic ait: *Ipse (Deus) est, qui in principio condidit mundum, plenum bonis omnibus visibilibus, atque intelligibilibus rebus, in quo nihil melius instituit, quam Spiritus, quibus intelligentiam dedit, & suæ contemplationis habiles capacesque sui præstitit, atque una societate devinxit, quam sanctam & supernam dicimus civitatem, in qua resideant, in qua sustententur, beatique sint.* Juxta S. Doctorem, Angeli capaces sunt ineundæ societatis cum Deo, & eum intuitivè contemplandi; eumque intuitivè contemplando, eadem, qua ipse fruitur, beatitudine fruendi. Ergo, &c.

R E S P O N S I O III.

Angeli sunt substantiæ libero arbitrio præditæ.

Est de fide, & prob. 1. Capaces sunt culpæ moralis, & demeriti apud Deum. Nam Job cap. 4. dicitur: *In Angelis suis reperit pravitatem.* Et 2. Petri c. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* 2. Capaces sunt sanctitatis, justitiæ, & meriti apud Deum: nam si mali Angeli æternam beatitudinem peccando demeriti sunt, eam bonos Angelos, mandata divina liberè servando, meritos esse, extra controversiam est.

3. Angelos liberos esse libertate arbitrii, unanimi consensu docent Patres. Pro omnibus hic sint S. Augustinus loco proximè citato, ubi post verba jam laudata, sic prolequitur: *Liberum arbitrium eidem intellectuali nature tribuit tale, ut si vellent deservere Deum, beatitudinem scilicet suam, continuo miseria esset secutura. Qui cum præficeret Angelos quosdam per elationem, quæ ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit, hanc potestatem, potentius & melius esse judicans etiam de malis benefacere, quam mala esse non finire.* Et S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum Diaconum c. 4. ubi hæc habet: *Quos (Angelos) ita creavit (Deus) ut etiam præ se ipsis illum diligerent... Ut autem hæc dilectio haberet justam & congruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem: ut esset eis possibile, sive ad eum qui supra eos est, intentionem sanctæ dilectionis erigere, sive ad se, vel ad ea quæ infra eos sunt, prave cupiditatis semetipsos pondere declinare.*

Accedit etiam ratio convincens. Nam omnis, sicut & sola, substantia intellectualis est libera libertate arbitrii. Atqui Angeli, ut probatum est, sunt substantiæ intellectuales. Ergo, &c. Sic argumentatur S. Thomas 1. p. q. 59. ar. 3. in O. Solum, inquit, id quod habet intellectum, potest agere judicio libero, in quantum cognoscit universalem rationem boni: ex qua potest judicare hoc vel illud esse bonum. Unde ubicumque est intellectus, ibi est liberum arbitrium. Et sic patet liberum arbitrium esse in Angelis etiam excellentius, quam in hominibus, sicut & intellectum.

ARTICULUS III.

Utrum Angeli sint substantia natura superiores hominibus.

Angelos non esse natura superiores hominibus, docuit S. Augustinus pluribus locis, nempe lib. de quantitate animae, c. 34. ubi sic loquitur: *Audisti quanta vis sit anima & potentia, quod ut breviter colligam, quemadmodum fatendum est animam humanam non esse quod Deus est: ita presumendum, nihil inter omnia quae creavit, Deo esse propinquius (natura,) ideoque divinè ac singulariter in Ecclesia Catholica traditur, nullam creaturam colendam esse animam, sed ipsum tantummodo rerum, quae sunt, omnium Creatorem. . . . Quidquid enim anima colit ut Deum, necesse est ut melius esse quam se ipsam putet. . . . Eorum autem quae Deus creavit, quiddam est deterius anima, quiddam par; deterius, ut anima pecoris; par, ut Angeli; melius autem nihil.*

Lib. 3. de lib. arb. c. 11. sic ait: *Tales sunt optima & sancta & sublimes creaturae coelestium vel supercoelestium potestatum, quibus solus Deus imperat, universus autem mundus subiectus est. . . . Anima etiam sunt rationales, & illis superioribus officio quidem impares, sed natura pares.* Lib. 83. qu. 54. hæc habet: *Quod est omni anima melius, id Deum dicimus. . . . nec quidquam est melius rationali anima, nisi Deus.* Denique sic loquitur lib. 3. contra Maximinum c. 25. *Natura hominis, quae mente rationali & intellectuali creaturas ceteras antecedit, Deus solus maior est.*

S. Augustinum sequitur S. Bernardus lib. 5. cap. 3. de consider. Tui portio, inquit, spiritus est, quo superius quidpiam frustra queris, quod non sit spiritus. Porro spiritus est Deus, sunt & Angeli sancti, & hi supra te. Sed Deus natura, Angeli gratia superiores sunt. Unum siquidem tui & Angeli optimum, ratio est. Deus vero non sui aliquid optimum habet, unum optimum totus.

RESPONSIO.

Angeli sunt substantia natura superiores hominibus. Prob. 1. ex Script. Nam dicitur Job c. 41. *Non est super terram potestas, quae comparetur ei (Satanæ.)* Et 2. Petri c. 2. *Angeli (mali) fortitudine & virtute cum sint maiores, non portant adversum se execrabile iudicium.* Unde sic argumentor. Ille natura superior est, qui superior est naturali potentia, fortitudine, & virtute: ubi enim proprietates naturales excellentiores sunt, ibi naturam excellentiorem esse necesse est. Atqui Angeli naturali potentia, fortitudine, & virtute superiores sunt hominibus. Ergo, &c. Major probata est. Minor negari non potest: cum enim Scriptura locis laudatis loquatur de malis Angelis, quibus post peccatum superfuerunt sola naturalia, eam de naturali potentia, fortitudine, & virtute loqui dubium esse non potest. Textibus laudatis addi possunt hæc Psalmi 8. verba: *Minuisti eum paulò minus ab Angelis.* Quibus verbis ostendit Apostolus Hebr. 2. Christum secundum naturam humanam Angelis inferiorem esse.

Prob. 2. ex S. Augustino tract. 110. in Joan. in fine ubi sic ait: *Cum noverimus bonorum omnium creatorem reparandis Angelis malis nihil gratia contulisse: cur non potius intelligimus, quod tanto damnabilior eorum iudicata sit culpa, quanto erat natura sublimior? Tanto enim minus, quam nos, peccare debuerunt, quanto meliores nobis fuerunt. . . . Hoc itaque nobis magnum bonum confert, qui dilexit nos sicut dilexit Christum, ut propter ipsum, cuius membra nos esse voluit, equales (adoptione divina) Angelis sanctis simus, qui & natura inferiores conditi sumus, &c.* Et lib. 11. de Civ. c. 15. ubi hæc habet: *Angelica creatura omnia cetera, quae Deus condidit, natura dignitate precedit.* S. Augustino adjungo Angelicum Doctorem loco proxime citato, ubi expressè dicit in Angelo intellectum & voluntatem excellentiores esse, quam in homine. At excellentiores intellectus & vo-

luntas non possunt esse nisi in excellentiore natura. Ergo, juxta Angelicum Doctorem, Angelus excellentioris est naturæ, quam homo.

Dices. S. Augustinus lib. 3. contra Maxim. c. 25. illud Psal. 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis,* docet dictum esse de Christo, non propter naturam humanam à Verbo assumptam; sed propter passionem. Propter quid dictum sit, inquit, *Minuisti eum modico minus, quam Angelos,* aperuit Scriptura, ubi legitur: *Cum autem modico minus, quam Angelos, minoratum vidimus Jesum propter passionem mortis; non ergo propter naturam hominis, sed propter passionem mortis.* Natura vero hominis . . . Deus solus est maior.

Resp. breviter, dicendum esse propter textus in Prob. 2. allegatos, S. Doctorem mutasse tandem sententiam; & tandem excellentiorem in Angelo, quam in homine, naturam agnovisse. Quod confirmari potest ex eo quod lib. 1. Retract. c. 26. corrigit id, quod dixerat lib. 83. qu. 54. non scilicet id Deum dicere, quod omni anima melius est. Ubi, inquit, quod dixi, quod autem est omni anima melius, id Deum dicimus; magis dici debuit, omni creato spiritui melius.

ARTICULUS IV.

Utrum Angeli sint substantia incorporea, & expertes omnis compositionis ex materia & forma.

Nota. Corporeum dupliciter accipi potest, propriè scilicet, & impropriè. Corporeum propriè dicitur illud, quod habet molem, hoc est, quod habet partes extra partes, correspondentes diversis partibus loci. Corporeum impropriè dicitur illud, quod non est nihil, sed veram & realem entitatem habet, sive in se ipso, sive in alio subsistat; quo sensu omnis substantia, sive completa sive incompleta, omneque accidens physicum est aliquid corporeum, nequidem ipso Deo excepto. Potest etiam impropriè dici corporeum, quod loco determinato & finito circumscribitur, & mutationi obnoxium est, quo sensu omnes omnino creaturæ corporeæ sunt, solus vero Deus incorporeus est: cum solus sit immensus, & summe incommutabilis.

Hanc doctrinam tradit S. Augustinus epist. 28. ad Hironimum, ubi hæc habet: *Si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quæ summe incommutabilis & ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine sistitur vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, & brevior brevior, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima.*

Ecce præter corporeum propriè & strictè dictum, distinguit S. Doctor duplicem sensum, in quo latè & impropriè dici potest aliquid corporeum, & in quorum primo Deus ipse corporeus est. Fatetur autem, quod sanè verum est, in hoc utroque sensu corpoream esse animam rationalem; sed negat esse, si corporeum propriè & strictè sumitur, pro eo scilicet quod habet molem. Similiter Angelos latè & impropriè utroque sensu corporeos esse, extra controversiam est; sed quaeritur utrum etiam corporei sint propriè & strictè loquendo? quod est quaerere utrum habeant molem, seu utrum eorum substantia habeat partes extra partes, diversis loci partibus correspondentes? Pro quo

Duplex hic distinguenda est sententia, à nobis impuganda. Prima docet Angelos esse omnino corporeos.

1. Pro hac sententia citari potest Tertullianus, qui corpus esse animam credidit, ut refert S. Augustinus lib. 10. de Civ. cap. 25. Præterea lib. 2. contra Marcionem c. 8. docet animam hominis constare esse

esse ex subtiliori materia, quam Angelos. *Imago*, inquit, & *similitudo Dei*, nempe anima humana, fortior Angelo; sed *afflatus Dei*, ex quo anima humana constat, generosior spiritui materiali, quo Angeli confiterunt. Qui facit, inquit, spiritus Angelos, apparitores flammam ignis.

2. Macarius senior, S. Antonii discipulus, hom. 4. ubi sic loquitur: Corpus induit, . . . Deus . . . ut cum adspectabilibus suis creaturis conjungi posset, ut puta Sanctorum animabus, & Angelorum. . . Nam unum quodque pro sua natura corpus est, Angelus, anima, demon. Quoniam etsi subtilia sint, nihilominus in subsistentia, & figura, & imagine, secundum tenuitatem naturae suae, corpora sunt subtilia: quemadmodum subsistentia corpus istud crassum est.

3. Cassianus collat. 7. c. 13. Licet pronuntiemus, inquit, nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt Angeli, Archangeli, ceteraque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aer iste subtilis; tamen incorporea nullatenus aestimanda sunt; habent enim secundum se corpus; licet multo tenuius, quam nos.

4. Arnobius in disputatione cum Serapione de Deo trino uno. Quidquid, inquit, mensuram habet, corpus est, non humanis, sed divinis oculis patens . . . incorporeus Deus solus est . . . quomodo non corporea esse dignoscitur anima?

5. Joannes Thessalonicensis, in dialogo, qui lectus est in septima Synodo Aet. 5. Solummodo, inquit, Deus incorporeus . . . intelligibiles autem creature nequaquam ex toto sunt incorporeae . . . Quoniam autem non sunt ut nos corporei (Angeli), utpote ex quatuor elementis & crassa illa materia, nemo tamen vel Angelos, vel demones, vel animas dixerit incorporeas.

6. Denique pro hac sententia citari possunt ii omnes, qui non solum Angelos, sed etiam animas esse corporeas sentiunt. Nam vel volunt Angelos esse substantialiter simplices, seu expertes omnis compositionis ex materia & forma substantiali; vel volunt eos compositos esse ex corpore & anima. At utrimvis velint, ab eis Angelos censei omnino corporeos, manifestum est: quod enim ex corpore & anima corporea constat, manifestum est omnino esse corporeum.

Secunda sententia docet Angelos ex parte corporeos esse, hac est, ex corpore & spiritu, vel saltem anima incorporea esse compositos. Pro hac sententia citamus, 1. Justinum Martyrem in dialogo cum Triphone, ubi ait Angelos in caelo nutriri, & vesci cibo nobis ignoto & inusitato; unde manifeste colligitur eum Angelos tenere saltem ex parte corporeos.

2. Origenem lib. 1. de Principiis c. 6. ubi ita loquitur: Nullo omnino genere intellectui meo occurrere potest, quomodo tot & tante substantiae vitam agere & subsistere sine corporibus possunt, cum solius Dei . . . id proprium sit, ut sine materiali substantia, & absque ulla corporea adfectionis societate intelligatur subsistere.

3. S. Ambrosium in lib. 2. de Abraham c. 8. ubi haec habet: Nos autem nihil materialis compositionis immune atque alienum putamus, praeter illam solam venerandae Trinitatis substantiam, quae vere pura & simplex sincere impermixtaeque natura est. Quod autem nihilominus animam teneat incorpoream esse, patet ex lib. 5. Epist. 21. ad Horontianum, ubi sic ait: *Anima* neque tactu aliquo comprehenduntur, neque visu corporeo videntur, & ideo preferunt illius incorporeae & invisibilis naturae similitudinem, & supergrediuntur substantia sua corpoream & sensibilem qualitatem.

4. S. Basilium in lib. de Spiritu sancto cap. 16. ubi agens de caelestibus virtutibus, hoc est, Angelis, sic ait: Substantia earum puta spiritus est aerius, aut ignis immaterialis, juxta id quod scriptum est: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem. Eapropter & in loco sunt, & sunt visibiles, dum iis qui digni sunt, apparent in specie propriorum corporum. Quoniam hac in re libi non constat: nam in hom. Quod Deus non sit auctor malorum, loquens de demone, haec habet: *Natura ipsius incorporea est, secundum Apostolum dicentem: Non est no-*

bis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritualia nequitia.

5. S. Augustinum lib. 2. de Trin. c. 7. An Angeli, inquit, qui jam antea erant, ita mittebantur, ut ex persona Dei loquerentur, assumptes corporalem speciem de creatura corporea in usum ministerii sui, sicut cuique opus esset: aut ipsum corpus suum, cui non subduntur, sed subditum regunt, in species quas vellent accommodatas, atque aptas actionibus suis, mutantes atque vertentes secundum attributam sibi à Creatore potentiam? Et enarr. in Plal. 85. Adhuc habet, inquit, vitam utique corpus nostrum, & tamen comparatum corpori illi, quod futurum est, qualia sunt Angelorum corpora, invenitur corpus hominis mortuum, quamvis adhuc habens vitam.

6. Claudianum Mamertum lib. 3. de statu animae c. 7. Est igitur, inquit, in Gabriele & incorporeum, quo incommutabiliter Deum videat, & corpus quod vel Maria viderit, vel per quod Maria videretur, quodque subditum spiritui localiter gereret . . . satis, ut arbitror, patet beatos Angelos utriusque substantiae & incorporeos esse in ea parte, sub qua ipsis visibilis Deus est, & in ea itidem parte corporeos, qua hominibus sunt visibiles; quoniam nec Deus ab Angelo per corpus, nec Angelus ab homine sine corpore videri potest.

Dixi autem superius, spiritu vel saltem anima incorporea; nam ex iis, qui tenent Angelos ex parte corporeos, non desunt qui velint substantiam incorpoream, qua ex parte constant, non ejusdem cum anima rationali, sed excellentioris esse naturae, quam spiritum vocant. De his loquitur S. Fulgentius lib. de Trin. c. 8. ubi sic ait: Planè ex duplici eos (Angelos) esse substantia adserunt magni & docti viri, id est, ex spiritu incorporeo, quo à Dei contemplatione nunquam recedunt; & ex corpore, per quod ex tempore hominibus apparent.

Ita sensit Claudianus: nam postquam dixit lib. 1. de statu animae c. 13. Duplex ergo est angelica, sicut est humana, substantia, habens corpus totius facilitatis maximeque pulchritudinis, quod hominibus, cum jubetur, appareat; habens incorporeum, quo Deum semper videat; capite sequenti, post allqua sic profecutur: Intelligere nos oportet constare hominem ex corporeo & incorporeo, utroque in melius reformato: constare Angelum ex corpore & spiritu, praecipua inter creaturas dignitate formato. Spiritus ille namque est omni spiritu creato potentior: corpus illud de potentissimo omnium elemento sublimius.

Idem etiam tandem aliquando sensit S. Augustinum, colligo ex tract. 110. in Joan. ubi dicit naturam angelicam sublimiorem esse naturam humanam, & homines natura inferiores Angelis conditos esse. Ex lib. 11. de Civ. c. 15. ubi ait creaturam angelicam naturae dignitate praecedere cetera omnia, quae Deus condidit. Et ex lib. 1. Retractat. c. 11. ubi se ipsum reprehendit, quod in lib. 6. de Musica c. 17. Angelos animarum beatarum & sanctarum nomine vocasset. Spiritus Angelicos, inquit, sancta Scriptura nomine animarum significare non solet . . . non video quemadmodum vocabulum animarum (de Angelis) secundum Scripturas sanctas forsitan possit ostendi . . . (Angelos) habere animas nusquam me legisse in divinis eloquiis canonicisque recolo.

Ex his autem argumentor sic. Vel sensit S. Augustinus, cum libros Retractationum scriberet, Angelos non habere corpus, vel sensit eos esse corpus tantum, vel denique sensit eos constare ex duplici substantia, corporea scilicet & incorporea, quae naturae sit excellentioris, quam rationalis anima. Non primum, ut patet ex lib. 2. de Trin. cap. 7. verbis proxime n. 5. laudatis, ex quibus retractat nihil lib. 2. Retract. c. 15, quo agit de libris de Trinitate, testaturque se emendasse eos, quantum emendandos putavit. Non secundum: nam si Angelus esset corpus tantum, esset saltem natura inferior animae: ut enim dicit ipse Augustinus Enarr. in Plal. 145. Semper corpus, quoniam corpus est, infra animam est, & quævis anima vilis excellentissimo corpore excellen-

sior

tior invenitur... *Vilis anima qualibet peccatrix melior est quolibet magno & præstantissimo corpore, non melior est meritis, sed natura.* Atqui quod Angelus natura inferior sit animæ humanæ, è diametro pugnat cum doctrina S. Augustini. Ergo tertium dici debet. His præsuppositis, ad quæstionem propositam sit

RESPONSIO I.

Angeli non sunt omnino corporei.

Est planè certa, & prob. Nam si Angelus omnino corporeus est, vel est tantum corpus simplex, seu constans ex partibus integrantes tantum, vel est compositum substantiale ex corpore & anima materiali seu corporea. Neutrum dici potest. Ergo, &c.

Prob. min. Nam utrumvis dixeris, 1. Angelus non erit substantia intellectualis, & libertate arbitrii prædita; quod est contra fidem. 2. Angelus erit natura inferior animæ hominis, ut facillè ostenditur: hominis enim animæ spiritualis est, ut dicit S. Augustinus Enarr. in Psal. 145. *Natura anima, inquit, præstantior est, quam natura corporis, excellit multum, res spiritualis est, res incorporea est, vicina est substantiæ Dei.* Et definit Conc. Later. IV. c. *Firmiter*, ubi dicitur: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus... Pater, Filius, & Spiritus sanctus... Creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotentia virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spirituales & corporeas, angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Atqui anima spiritualis natura præstantior est corpore quolibet, ut ait S. Augustinus Enarr. in Psal. 145. verbis supra relatis, & per se clarum est. Item natura præstantior est qualibet forma seu anima materiali & corporea: quidquid enim corporeum est, ejusdem ordinis est cum corpore, adeoque ordinis inferioris est ad id omne, quod est spiritale. Ergo si Angelus omnino corporeus est, sive dicatur esse simplex corpus, sive dicatur esse substantia composita ex corpore & anima corporea, erit natura inferior animæ hominis. Quod est falsum & absurdum, ut patet ex dictis Art. 4.

RESPONSIO II.

Angeli nequidem ex parte corporei sunt, sive non constant ex duplici substantia, una scilicet corporea, & altera incorporea, sicut homines constant; sed sunt substantiæ simplices & incorporeæ.

Prob. 1. ex Script. Nam in Scripturis sacris Angeli passim vocantur Spiritus. Sic Hebr. c. 1. dicitur: *Omnes sunt administratores Spiritus.* Apocalip. c. 1. *A septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Et c. 4. *Septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem Spiritus Dei.* Luc. c. 10. *Spiritus vobis subiciuntur, &c.* Atqui vox Spiritus in propria acceptione substantiam simplicem & incorpoream significat, ut patet ex Joan. c. 4. ubi dicitur: *Spiritus est Deus;* & ex 1. Cor. c. 2. ubi dicitur: *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Neque est aliqua ratio sufficiens vocem hanc in alienum sensum detorquendi pro Angelis. Ergo Angeli sunt substantiæ simplices & immateriales.

Prob. 2. ex Conc. Later. IV. c. *Firmiter*, ubi de Creatore Deo dicit simul ab initio temporis utramque de nihilo conditam ab eo esse creaturam, spirituales & corporeas, angelicam videlicet & humanam, & deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Sic autem loquendo, Synodus 1. manifestè opponit creaturam spiritualem creaturæ corporali. Atqui per creaturam corporealem intelligit substantias purè corporeas. Ergo per creaturam spirituales intelligit substantias purè incorporeas, adeoque dicit vel supponit substantiam angelicam esse substantiam purè incorpoream. 2. Dicit creaturam humanam medium tenere inter creaturam spiritualem & corporealem, inter angelicam naturam & naturam

mundanam, seu purè corpoream; quia non ex spiritu tantum, aut ex corpore tantum, sed ex spiritu & corpore constituitur. Ergo apertè supponit & significat creaturam spiritualem & angelicam spiritu tantum, corporealem verò & mundanam corpore tantum constare.

Dices. Si ita esset, jam esset de fide, quod Angeli sint omnino incorporei. Atqui hoc negant communiter Scholastici, qui post Lateranensem Synodum scripserunt, & docent, Synodum hoc loco nihil aliud definire voluisse, quam Deum esse rerum omnium autorem & creatorem; cætera verò adiecere secundum communioem sententiam, nihil terminando circa illa. *Resp.* Si, quod Angeli sint substantiæ purè incorporeæ, nondum est de fide, saltem negari non potest sine temeritate, ut docent communiter Scholastici, à quibus quæri posset unde habeant, quod verba Concilii vim definitionis non obtineant, quod Concilium controversiam de incorporeitate Angelorum noluerit definire, nec fideles docere intenderit non solum quod Deus sit author rerum omnium, sed etiam quod Angeli sint substantiæ purè spirituales; cum hæc definitio sufficiens habere videatur fundamentum in Scriptura & traditione? Nam

Prob. 3. ex Patribus, qui magno numero docent Angelos esse incorporeos, ut Gregorius Thaumaturgus in serm. de S. Theophania. *Rex celestis, inquit, ad Joannem præcursorem suum accurrit, non Angelorum movens castra, neque præcursores sibi præmittens incorporeas potestates.*

Eusebius Cæsariensis lib. 4. *Demonstrationis Evangelicæ c. 1. Cum Deus... esset jamjam omnem rationalem creaturam in lucem producturus, inquit, incorporeas videlicet quasdam atque intelligentes & divinas potestates, Angelosque atque Archangelos, materieque expertes, & ab omni parte puros spiritus, &c.*

S. Athanasius in collectione testimoniorum sacre Scripturæ de naturali, &c. *Angelus, inquit, animal est rationale, expertus materie, hymnis dicendis aptum, immortale.*

Didymus Alexandrinus in lib. 1. de Spir. Sanct. *Manifestum est, inquit, non à corporibus tantum, sed & ab incorporalibus creaturis (supple, etiam sanctificationis capacibus) extraneum esse Spiritum sanctum.* Per incorporeales autem creaturas, sanctificationis capaces, non nisi Angelos ab eo posse intelligi clarum est.

S. Gregorius Nyssenus hom. 4. de oratione dominica. *Omnis, inquit, creatura rationalis partim incorpoream, partim in incorpoream naturam divisa est: est autem Angelica quidem incorporea; altera verò species, nos homines sumus.*

S. Chrysostomus hom. 22. in e. 6. Genesim. *Quomodo, inquit, rationi consonum est, Angelum incorporeum... homini invidere corpore circumamictio? ... Quanta non dementia plenum fuerit, dicere Angelos dejectos, ut cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus? Propter eandem rationem, nempe quia Angeli incorporei sunt, eos concupivisse mulieres negat Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Genesim.*

Theodoretus quest. 20. in Genesim. *Si invisibile anima, inquit, imago Dei esset, multo magis Angeli, Archangeli, & universæ natura sanctæ & incorporeæ, utpote à corporibus prorsus liberatæ, invisibilem & impermixtam naturam possidentes, vocarentur imagines Dei.*

S. Damascenus lib. 2. orth. fidei c. 3. ubi sic ait: *Ipse, Deus, Angelorum opifex ac procreator est, ut qui eos ex nihilo in ortum produxerit, atque ad suam imaginem effecerit, naturam corporis expertem, velut spiritum quandam, aut ignem materia vacantem... Angelus porro est essentia intelligens, perpetuo motu, atque arbitri libertate prædita, corporis expertus, &c.*

Ex Latinis, Marius Victorinus Afer lib. 4. adversus Arium, ubi dicit Angelos, Archangelos, Thronos incorporeos esse. Lactantius lib. 7. instit. divin. c. 21. *Dicimus tantam esse Dei potestatem, ut etiam incor-*

incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit afficiat. Nam & Angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo; & demones reformidant Deum, quia torquentur ab eo, ac puniuntur. Quid ergo mirum, si cum sint immortales anime, tamen passibiles sint Deo? Nam cum in se nihil habeant solidum & conrectabile, à solidis & corporalibus nullam vim pati possunt; sed quia in solis spiribus vivunt, à solo Deo tractabiles sunt, cui virtus ac substantia spiritalis est.

Leo Magnus in epist. ad Turbium c. 6. contra asserentes diabolum nunquam fuisse bonum, dicit, fidem veram, que est catholica, omnium creaturarum sive spiritalium sive corporalium bonam consiteri substantiam, & mali nullam esse naturam. Hic creaturas spirituales contradistinguit S. Leo à corporalibus, & demones esse creaturas spirituales, manifestè supponit.

Gregorius Magnus lib. 4. dialogi ad hanc quæstionem, utrum apostata Spiritus, à cælesti gloria dejecti, corporei sint an incorporei; inducit Petrum sic respondentem: *Quis sanum sapiens, esse Spiritus corporeos dixerit?* Juxta S. Gregorium, Angeli mali, adeoque & boni, spiritus sunt, ac proinde incorporeos esse manifestum est; quia esse spiritus corporeos, evidenter repugnat.

Idem lib. 2. Mor. c. 4. docet aliter nos, & Angelos aliter loqui, quia nos ex anima & corpore constamus; Angeli verò, utpote spiritus, expertes sunt corporis. Cum manifestare nosmetipsos cupimus, inquit, quasi per lingue januam egredimur, ut, quales sumus intrinsecus, ostendamus. Spiritalis autem natura non ita est, quæ ex mente & corpore composita dupliciter non est. Sed rursus sciendum est, quia ipsa etiam natura incorporea cum loqui dicitur, ejus locutio nequaquam una atque eadem qualitate formatur.

Prætermittendus non est S. Hilarius; nam in tract. in Psal. 137. ad hæc verba, *Et in conspectu Angelorum psallam tibi*, sic de Davide loquitur: Non ergo que videntur in corpore, cerni desiderat: sed ea que spiritaliter natura spirituales continentur, gerere festinat. Et inferius hæc habet: *Oratio ejus (Elisei) ad Dominum, visum incorporeum (Angelorum) etiam puero suo meruit.* In horum igitur assensum humanis auxiliis Angelorum conspectu psallet Propheta, spiritalibus spiritalium operum contemplatione placiturus. Juxta S. Hilarium, Angeli sunt naturæ spirituales & incorporeales, adeoque non corporaliter, sed spiritaliter continentur opera Dei; quanquam humano, hoc est, sensibili modo hominibus possunt assistere, assumendo scilicet corpora aerea, vel aliter in sensus nostros imprimendo.

Cum autem ait c. 5. Comment. in Matth. n. 8. *Nihil est quod non in substantia sua & creatione corporeum sit: & omnium, sive in celo, sive in terra, sive visibilibus, sive invisibilibus, elementa formata sunt.* Nam & animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exultantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur: quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est; corporeum sumit, non propriè, pro eo scilicet, quod molem habet; sed impropiè, pro eo quod finitum & limitatam extensionem habet, sive formalem habeat, ut habent naturæ corporales, sive virtuales tantum, ut habent naturæ spirituales, adeoque pro eo quod est in loco circumscriptivè, vel saltem definitivè. Bonitas hujus interpretationis patet ex his S. Hilarii verbis: *Quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est; & confirmari potest ex eo quod expressè doceat animam hominis incorpoream esse: nam sic loquitur tract. in Psal. 118. lit. 10. Est ergo in hac rationali & incorporali anima nostra substantia primum, quod ad imaginem Dei factum sit.* Et in tract. in Psal. 130. *Anima humana in hac sensus suis mobilitate ad imaginem opificis sui facta est... nihil in se habet corporale.* Quod si neque Angelum, neque animam dicit esse spiritum, ratio est, quia nomine Spiritus, propriè significati non vult, nisi ens incommutabile & immensum. Spi-

ritus, inquit, lib. 2. de Trin. n. 3. *nec circumscribitur, nec tenetur, qui per naturæ suæ virtutem ubique est, nec usquam abest, in omnibus omnis exuberans.* Juxta S. Hilarium igitur, Angelus est natura spiritalis, quia incorporealis est; non est tamen propriè spiritus, quia ubique non est.

Denique Richardus à S. Viç. lib. 4. de Trin. c. ult. ex professo probat incorporeitatem Angelorum. Patrum testimonio unanimem Scholasticorum Doctorum consensum adjungimus: omnes enim, uno aut altero excepto, tenent Angelos omnino incorporeos esse, duce S. Thoma 1. p. q. 50. a. 1.

Obj. 1. Genes. c. 6. dicitur: *Postquam ingressi sunt Filii Dei ad filias hominum, illaque genuerunt, isti sunt potentes à saculo viri famosi, gigantes scilicet, à filiabus hominum geniti post initum cum Filiis Dei matrimonium.* Atqui per Filios Dei intelliguntur Angeli. Ergo ex Scriptura virtutem habent generandi, adeoque corporei sunt. R. n. min. Nam si per Filios Dei intelligendi sunt Angeli, vel boni, vel mali intelligendi sunt. Neutrum dici potest. Non primum: nam eo tempore, de quo loquitur Scriptura, boni Angeli jam fruebantur cælesti beatitudine, sicut mali jam erant æterno supplicio addicti. At dicere quod Angeli beati uxores duxerint, nimis absurdum est, & repugnat verbis Christi, dicentis Matth. c. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in celo.* Non etiam secundum: non enim minus absurdum est dicere quod per Filios Dei intelligendi sunt demones, nec ulquam alibi in Scriptura demones Filios Dei nominari reperies.

Itaque per Filios Dei hic intelligi debent homines, imò intelligi debere Scriptura ipsa sine ulla ambiguitate declarat, cum post verba laudata subjicit: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra, ut observat S. Augustinus lib. 15. de Civ. c. 23.* ubi etiam homines illos, quos Filios Dei nominat Scriptura, dicit fuisse filios Seth; sicut & filias hominum, quas acceperunt uxores, fuisse filias Cain. Quam interpretationem sequuntur alii Patres communiter.

Obj. 2. Septima Synodus approbavit verba Joannis Thessalonicensis, à nobis superius recitata, quibus aperte docet Joannes ille Angelos esse corporeos, aut omnino, aut saltem ex parte. R. negando: Synodus enim approbavit tantum id quod ex verbis illis collegerat Tharasis Patriarcha, videlicet quod Joannes Thess. censuerit Angelos esse pingendos. Patet ex acti Synodi: postquam enim verba Joannis Thessalonicensis recitata fuerunt, Tharasis dixit: *Ostendit Pater quod & Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt: tum sacra Synodus dixit: Etiam, Domine. Supple, ostendit quod & Angelos pingere oporteat.*

ARTICULUS V.

Utrum Angeli sint immortales.

Angelos re ipsa nunquam interituros, sed in æternum duraturos esse, fide certum est: nam fides docet bonos Angelos fruituros esse æterna beatitudine, malos verò æterna pœna plectendos, juxta illud Christi, Matth. c. 25. *Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Fide igitur constat, quod Angeli sint aliquo modo immortales. Controversia itaque esse non potest, nisi de modo, quo immortales sunt & incorruptibiles Angeli. Hic ergo quaeritur tantum, utrum Angeli sint immortales & incorruptibiles naturaliter, an non? Pro quo sit

RESPONSIO I.

Angeli sunt naturaliter immortales & incorruptibiles in aliquo vero sensu.

Prob. Illud in vero sensu naturaliter immortale est & incorruptibile, quod à nullo agente creato corrumpi potest: sicut è contra illud naturaliter mortale est & corru-

corruptibile, quod ab agente creato corrumpi potest, ut fatentur omnes. Atqui Angelus à nullo agente creato potest corrumpi. Ergo, &c. *Prob. min.* Illud à nullo agente creato corrumpi potest, quod non est in partes dissolubile: agentia enim creatanec corrumpunt, nec corrumpere possunt subjectum aliquod, nisi dissolvendo illud in partes. Atqui substantia Angeli non est dissolubilis in partes; cum simplex sit, & careat partibus: nam si constaret partibus, molem haberet, adeoque esset, non spiritalis, sed corporea; quod est falsum. Ergo, &c.

Confirm. Illud in vero sensu naturaliter incorruptibile est, quod non habet in se principium naturalis corruptionis, ut patet ex terminis. Atqui Angelus non habet in se principium naturalis corruptionis. Ergo, &c. *Prob. min.* Principium naturalis corruptionis est partium dissolubilitas. Atqui hæc dissolubilitas non habet locum in Angelo, cuius substantia spiritalis est, adeoque simplex, nec habens partes, quæ possint dissolvi. Ergo, &c.

Eadem ratione animam esse naturaliter immortalem probat Maximus Martyr in opusculo de anima, apud Petavium lib. 1. de Angelis c. 5. *Consequens*, inquit, arbitror, esse immortale aliquid ex eo, quod est simplex. . . omne quod corrumpitur, dissolubile est. Quod autem dissolubile est, plures habet partes. . . quam ob rem anima, cum sit simplex. . . non est composita, neque dissolubilis; ideoque corruptionis erit experta, & immortalis.

RESPONSIO II.

In aliquo etiam vero sensu Angeli non sunt naturaliter immortales.

Prob. Illud in vero sensu non est naturaliter immortale, quod non est ex se tale, ut exigat infructuabiliter existere. Atqui Angeli non sunt tales ex se, ut exigant infructuabiliter existere. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam si Angeli tales sunt ex se, ut infructuabiliter exigant existere, certè tales sunt ex se, vel quia ex se habent sufficientiam ad existendum, vel quia ex se habent aliquid, quo Deus necessitatur ad eorum productionem & conservationem. Neutrum dici potest. Ergo, &c.

Prob. min. Non primum: alioquin Angeli sunt entia à se, & existunt independentes ab omni causa producente & conservante; quod est contra fidem: nam fides docet solum Deum esse ens à se, & independentem ab omni causa producente & conservante existere. Non etiam secundum: nam fide certum est Deum liberum esse arbitrii libertate circa ea omnia, quæ ad extra producit & conservat, juxta illud Apostoli Ephel. cap. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Et illud Davidis Psal. 148. ubi loquens etiam de Angelis, sic ait: *Ipsè dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt. Statuit ea in æternum. . . Preceptum posuit, & non prateribit.* Ex quibus verbis habemus, Angelos non esse, nisi quia Deus liberè dixit & mandavit ut essent; nec in esse perpetuò permanens, nisi quia Deus liberè statuit & præcepit, ut perpetuò in esse permanerent. Præterea Angeli, sicut & alia omnia entia creata, non habent bonitatem seu perfectionem essentialem, nisi finitam & limitatam: bonitas autem seu perfectio finita non habet, unde Deum ad sui productionem & conservationem necessitet. Ergo, &c.

In hoc sensu, naturaliter immortales esse Angelos negant Patres multi, ut Hilarius in Psal. 148. n. 5. ubi loquens de creationibus seu de creaturis, quæ in æternitatis sunt substantia constituta, adeoque de Angelis, hæc habet: *Ac ne forte, quod in æternum manerent, naturale illis esse ex substantie beatitudine crederetur, subiecit: Preceptum posuit, & non prateribit; ut hoc quod sunt, id est, ut maneat in æternum, non natura sue esse intelligant, sed præcepti ejus sit, qui potens sit rebus ex nihilo substitutis naturam æternitatis asserre.*

Cyillus Alex. in assertionem 20. *Quidquid*, inquit, secundum substantiam suam factum est, potest etiam

volente Creatore, in nihilum redigi. . . *Est Angelus immortale quiddam sit, idque ex voluntate & beneficio Creatoris; cum tamen existendi principium habeat, potest etiam finem sortiri. . . Quemadmodum igitur ignis urendi vim habet, sed non Deo; ita & Angelus immortalis quidem est, sed non Deo. Ipse enim solus propriè est immortalis, naturaliter, non per gratiam sicut creatura, firmitatem illam & perpetuitatem in se habens.*

Sophronius in sua ad Sergium epistola, relata in Act. 11. Synodi sextæ: *Intellectualia*, inquit, & invisibilia, . . nullatenus moriuntur, neque corrumpuntur. . . non tamen sunt immortalia per naturam, neque in essentiam incorruptibilem transeunt, sed gratiam eis largitus est (Deus) à corruptione ea & à morte coercentem. Sic hominum anime permanent incorrupte, sic Angeli immortales perseverant, non naturam. . . incorruptam, propriè immortalē habentes essentiam; sed gratiam à Deo sortiti sunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis providet.

Damascenus lib. 2. orth. fidei cap. 3. ubi sic ait: *Angelus est. . . natura immortalitatem divinitus consecuta.* Et inferius: *Immortalis item, non quidem natura, sed gratia est Angelus. Ita enim natura comparatum est, ut quidquid orum habuit, finem quoque aliquando sit habiturum, supple, nisi divinitus consecutum fuerit immortalitatem. Solus enim Deus semper est, necessariò scilicet & essentialiter, quia nimirum solus habet ex se plenam ad existendum sufficientiam, adeoque summam existendi necessitatem.*

Ex dictis hæcenus liquet Patres in præfenti controversia inter se non dissentire, nisi apparenter, dum Angelos natura alii, alii verò non natura, sed gratia immortales esse asserunt: nam qui dicunt Angelos immortales esse natura, non aliud volunt, quam eos definire non posse per dissolutionem partium, quia partibus carent, & simplicem habent substantiam, adeoque à nullo agente creato corrumpi possunt. Qui verò dicunt Angelos immortales esse non natura, sed gratia tantum, non aliud volunt, quam eos etiam ex hypothesi quòd existant, nihil habere in se, quo infructuabiliter exigant permanere in esse; sed sicut liberè à Deo producti sunt, ita & liberè ab illo conservari, adeoque ab illo posse destrui, & annihilari per subtractionem influxus illius, quo liberè eos veluti manu tenet in esse. Primi asserentes Angelos esse natura immortales, non negant eos à Deo liberè productos esse, & liberè conservari, eis à Deo existendi terminum potuisse constitui, eos à Deo posse in nihilum redigi, eosque in æternum extituros: quia Deus liberè vult eos in æternum existere. Secundi verò negantes Angelos immortales esse natura, non asserunt eos constare partibus, quæ naturaliter dissolvi possint, adeoque eos ab aliquo agente creato posse corrumpi.

Obj. Angeli in nullo vero sensu immortales sunt natura: nam Apostolus 1. ad Timoth. c. 6. dicit de Deo: *Qui solus habet immortalitatem.* Ergo, &c. R. n. ant. *Ad prob. R.* Apostolum hic per immortalitatem intelligere omnimodam immortalitatem seu indestructibilitatem. Solus autem Deus habet immortalitatem in hoc sensu: solus enim summam habet necessitatem existendi, solus essentialiter caret principio & fine, solus habet ex proprio fundo sufficientiam ad existendum, solus non indiget extrinseco agente, ipsum producente, & productum conservante.

Amplius, Deus nullo pacto destructibilis est: nam si potest aliquo pacto destrui, vel quia potest corrumpi per partium dissolutionem; at hoc non: substantia enim divina simplicissima est, adeoque caret partibus: vel quia potest annihilari per subtractionem influxus agentis extrinseci, ipsum in esse tenentis; at hoc non: nam Deus existit à se, adeoque independentem ab omni agente extrinseco, in ipsum influente. Angelus verò non potest quidem corrumpi per dissolutionem partium, quia simplex est, & partium expertus: unde aliquo modo indestructibilis est natura-

naturaliter, relatè scilicet ad quodlibet agens creatum; at potest annihilari per subtractionem influxus divini, quo tenetur in esse: non enim existit à se, sed dependenter à Deo; à quo liberè productus est, & liberè productus liberè conservatur: unde relatè ad Deum non est indestructibilis simpliciter & antecedenter, sed secundum quid tantum, & consequenter ad actum liberam; quo Deus immobiliter decrevit eum conservare in æternum; adeoque relatè ad Deum non est indestructibilis natura, sed gratia tantum, ut dicunt Patres in Resp. II, citati, & cum illis S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 2. *Nec Angelus, inquit, immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est Creatoris... Alia immortalitas, qua donatur (qualis est immortalitas Angelorum,) alia que sine capacitate mutabilitatis est semper (qualis est immortalitas Dei) qui cum summam habeat ex proprio fundo existendi necessitatem, non precario, sed per essentiam suam immortalis est, adeoque omnimodè indestructibilis & invariabilis.*

ARTICULUS VI.

Utrum Angeli producti fuerint; à quo, quando, ubi, & in quanto numero producti fuerint.

RESPONSIO I.

Angeli non sunt improducti. Est de fide, & prob. breviter. Unicum est ens improductum, Ergo, &c. Prob. ant. Ens improductum est ens à se existens. Atqui unicum est ens à se existens. Ergo, &c. Prob. min. Ens à se existens est ens illimitatum in omni genere perfectionis: non enim habet unde limitetur. Ergo est ens, quo nihil melius esse vel etiam cogitari potest. Atqui ens quo nihil melius esse vel cogitari potest, unicum est: nam de talis entis ratione est, quod sit supremum. Supremum autem unicum est, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Angeli omnes producti fuerunt à Deo per creationem.

Est de fide, & prob. 1. ex Scriptura. Nam Psal. 148. regius Plates, creaturis multis, inter quas Angelos recenset, ad laudandum Deum invitatis, sic prosequitur: *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* Et Apostolus ad Coloss. c. I. loquens de Christo, sic ait: *In ipso condita sunt universa, in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.*

Prob. 2. ex Conciliis. Nam Conc. Nicænum in Symbolo dicit: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terre, visibilium omnium & invisibilium.* Et Conc. Later. c. Firmiter, de Deo dicit, quod sit creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotentis virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam.

Prob. 3. Ex unanimi consensu Patrum, pro quibus omnibus S. Augustinus lib. II. de Civ. c. 9. in verba Psalmi 148. à nobis laudata sic disserit: *Etiam hic apertissime à Deo factos esse Angelos, divinitus dictum est, cum eis inter cetera cælestia commemoratis, insertur ad omnia: Ipse dixit, & facta sunt.*

Prob. 4. ratione. Quia vel Angeli producti sunt, vel sunt improducti, & entia à se. Non secundum, ut patet ex Resp. I. Ergo primum. Rursus, cum sint completæ substantiæ, vel producti sunt per generationem, vel per creationem. Non primum: nam Angeli sunt substantiæ simplices, & substantia simplex generari non potest: quod enim generatur, fit ex subiecto præexistente & inexistente, adeoque non simplex, sed ex partibus compositum est. Ergo secundum. Atqui quod producitur per creationem, à solo Deo

producitur: solus enim Deus creare potest; quia rem ex nihilo subiecti, quam ex nihilo sui producere solus omnipotens est. Ergo omnes Angeli per creationem producti sunt; & quia per creationem producti sunt, à solo Deo producti sunt. Ergo omnes Angeli producti sunt à Deo per creationem.

Addo omnes simul creatos fuisse. Nam 1. omnes uno & eodem instanti creati potuerunt à Deo; alioqui Deus non esset omnipotens. 2. Quod successive tantum creati fuerint, nulla ratione suaderi potest. 3. Simul omnes creatos fuisse, Patres vel apertè significant, vel expresse docent, ut Theodoretus lib. 3. adversus Græcos, ubi sic ait: *Naturam eorum Spirituum, qui videri non possunt, nequaquam ex duobus constituit, sed universam simul semelque creavit. Quot enim millia eorum Spirituum ab initio esse sanxit, tot repente simul produxit.*

Ex dictis apparet absurditas sententiæ nonnullorum veterum, qui docuerunt non omnes Angelos à Deo procreatos fuisse, sed alios ab aliis propagatos & genitos. Hanc opinionem securus esse videtur Gregorius Nyss. in libro de officio hominis, ubi dicit homines in statu innocentie ab hominibus fuisse propagandos sine usu conjugii, sicut abque usu conjugii inter Angelos alii ab aliis propagati fuerunt. *Apertissime, inquit, respondebimus roganti, quomodo sine conjugio esse homo potuisset; si dicamus, hoc in nobis perinde fieri potuisse, atque in Angelis, qui & ipsi expertes sunt conjugii.*

RESPONSIO III.

Angeli non fuerunt à Deo creati ab æterno.

Est de fide, & prob. 1. ex Script. Nam dicitur de Filio Dei Prov. c. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Et Eccl. c. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Et Coloss. c. I. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creature.* Unde sic argumentor breviter. Si Angeli fuerunt à Deo creati ab æterno, Filius in divinis non fuit à Patre genitus, antequam existeret ulla creatura, ut patet ex terminis. Conf. evidenter repugnat Scripturæ. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Conc. Later. IV. c. Firmiter, ubi dicitur: *Firmiter credimus... quod unus solus est verus Deus æternus... creator omnium invisibilium & visibilium... qui sua omnipotentis virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam.* Quibus verbis apertè definitur, solum Deum ab æterno extitisse, cetera verò omnia entia, tam invisibilia, quales sunt Angeli, quam visibilia, qualia sunt cælum & terra, aliquando cæpisse.

Constat igitur Angelos non fuisse creatos ab æterno; sed quaeritur utrum ante mundum corporeum, an cum ipso mundo corporeo creati fuerint? Ante mundum corporeum creatos fuisse docuerunt & Græcis Patribus, Basiliius hom. I. in hexameron, ubi sic ait: *Erat sane status quidam mundi generatione superior, abstractis illis à concretionem materia potentis mundo præstantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus ac perpes, hoc est, perpetuò duraturus. Per potentias autem illas à concretionem materia abstractas, seu incorporeas, manifestè intelligit Angelos, quos proinde ante hunc aspectabilem mundum vult esse conditos.*

Gregorius Nazian. orat. in nativitatem Christi, ubi sic loquitur: *Quoniam summo illi bono nequaquam satis erat sua ipsius solum contemplatione moveri, sed bonum illud diffundi ac propagari oportebat, ut plura essent qua beneficio afficerentur... primum Angelos & cælestes Spiritus cogitavit... Sic igitur atque ob has causas intellectibilis mundus ab eo creatus est... Posteaquam autem primas creationis partes præclare constitutas vidit, alterum mundum cogitavit materia constantem & aspectabilem, &c.*

Damascenus lib. 2. orthod. fid. c. 3. ubi hæc habet: *Nonnulli, inquit, eos (Angelos) ante alias omnes res conditas procreatos fuisse censent: quemadmodum his*

his verbis testatur Theologus Gregorius, primum angelicas & celestes Virtutes cogitat, ac cogitatio illa opus exitit. . . . Theologi Gregorii sententia calculum meum addo. Decebat enim primum naturam eam, que sub intelligentiam cadit, creari, deinde eam, que sensibus percipitur, atque ita demum hominem ex utraque constantem.

Ex Latinis, Ambrosius in lib. 1. ad hexaemeron cap. 5. Angeli, inquit, Dominationes & potestates, etsi aliquando cœperunt, erant tamen jam quando hic mundus est factus. Hilarius lib. 12. de Trin. n. 37. Quid magnum est, inquit, ut ante terram Deus Dominum Christum genuerit, cum Angelorum origo terre creatione reperiatur antiquior? Hieronymus ad caput 1. Epist. ad Tit. &c.

Angelos cum mundo corporeo creatos fuisse docuerunt & Græcis, Epiphanius hæc. 65. Illud, inquit, evidenter divinus sermo declarat, neque post sidera productos Angelos, neque ante cœlum terramque constitutos. Est enim certa illa & immutabilis sententia, ante cœlum ac terram nihil omnino rerum conditarum extitisse; quoniam in principio creavit Deus cœlum & terram: ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit.

Theodoretus q. 3. in Genesim: Certum est, inquit, Angelos determinata esse substantia. Quod si verum est istud, sicut profectio est, loco utique opus habebunt. Nam sola divinitas, veluti minime circumscripta, loco non est obnoxia. At si quod circumscriptum est, in loco est, qui sit ut Angelos ante cœlum & terram extare arbitrentur? Nam si non sit in rerum natura quod comprehendat, quomodo esse possit quippiam, quod comprehendatur? Addit autem inferius, eos qui Angelos dicunt conditos esse ante mundum corporeum, contra fidem non errare. Si quis, inquit, Angelorum turbas ante cœlum & terram conditas esse dixerit, non offendet verbum pietatis, &c.

E Latinis, Novatianus lib. de Trin. c. 1. ut vult Petavius lib. 1. de Angelis c. 15. Sed utrum author ille Angelos non cœlo & terra, sed solo firmamento faciat priores, satis obscurum; unde verba illius prætermittimus.

Augustinus serm. 251. de tempore, ubi loquens de Dominico die, sic ait: Apparet autem hunc in Scripturis sanctis esse solemne. Ipse enim est primus dies sæculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt Angeli. Et lib. 11. de Civ. c. 9. Ubi, inquit, de mundi constitutione sacre littere loquuntur, non evidenter dicitur, utrum vel quo ordine creati sint Angeli. Sed si prætermissi non sunt, vel cœli nomine, ubi dictum est, In principio Deus fecit cœlum & terram, vel potius lucis huius, de qua loquor, significati sunt. Non autem prætermisissos esse hinc existimo, quod scriptum est, requievit Deus in septimo die ab omnibus operibus suis, que fecit, cum liber ipse ita sit exorsus: In principio fecit Deus cœlum & terram; & ante cœlum & terram nihil aliud fecisse videatur. . . . Quis porro audebit opinari post omnia ista, que sex diebus enumerata sunt, Angelos factos? Sed & si quisquam ita desipit, redarguit istam vanitatem illa Scriptura paræ authoritatis, ubi Deus dicit: Quando facta sunt sidera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei. . . Nil mirum ergo si ad istorum dierum opera Dei pertinent. Pertinere autem superius probavit.

Hanc porro sententiam non ut certam, sed ut sibi verisimiliorem defendit S. Doctor: nam eodem libro c. 32. permittit ut defendatur sententia opposita, quæ tenet Angelos ante mundum corporeum factos esse; dummodo eos à Deo creatos fuisse, & æternum esse duraturos, nullatenus ambigatur. Ne quis autem contendat, inquit, & dicat non sanctos Angelos esse significatos in eo, quod scriptum est, Fiat lux, & facta est lux; sed quamlibet lucem tunc primum factam esse corpoream aut opinetur, ut doceat: Angelos autem prius esse factos; non tantum autem firmamentum, quod inter aquas & aquas factum, appellatum est cœlum, sed ante illud quod dictum est, In principio fecit

Deus cœlum & terram; atque illud quod dictum est, In principio, non ita dictum tanquam primum hoc factum sit, cum ante fecerit Angelos, sed quia omnia in sapientia fecit, quod est verbum ejus, & ipsum Scriptura principium nominavit. . . . non è contrario referam contentionem. . . . ut volui unusquisque accipiat, quod ita profundum est, ut ad excitationem legentium à fidei regulâ non aberrantes plures possit generare sententias: dum tamen Angelos sanctos in sublimibus cœli sedibus non quidem Deo coæternos, sed tamen de sua sempiterna & vera felicitate securos & certos esse, nemo ambigat.

Genadius Massiliensis in lib. de Eccl. dog. c. 10. In principio, inquit, creavit Deus cœlum & terram & aquam ex nihilo. Et cum adhuc tenebræ ipsam terram occultarent, & aqua terram absconderet, facti sunt Angeli, & omnes celestes virtutes, ut non esset otiosa Dei bonitas, &c.

Gregorius Magnus lib. Mor. 28. c. 7. Quia prima in tempore, inquit, condita natura rationabilium Spirituum creditur, non immeritò matutina astra Angeli vocantur. At si Angeli conditi sunt in tempore, non ante cœlum & terram conditi sunt; cum ante cœlum & terram non fuerit tempus.

Beda in hexaemeron: Non ergo, inquit, superius illud cœlum, quod mortalium amicum est innaccessibile conspectibus, inane creatum est & vacuum. . . . quia nimirum suis incolis mox creatum, hoc est, beatissimis Angelorum agminibus impletum est, quos in principio cum cœlo & terra conditos esse, ac mox conditionem suam simul & totius creature primordialis ad laudem creatoris retulisse testatur ipse conditor, qui loquens ad sanctum famulum suum Job dicit: Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Et paulo post: Cum me laudarent simul astra matutina, &c.

Hugo Victor. lib. 1. de Sacramentis fidei, par. 5. c. 4. Hoc interim commodius, inquit, & veritati vicinius profitemur, quod simul in tempore uno & in principio temporis, quando tempora ipsa cœperunt, facta est sive creata pariter rerum omnium visibilium materia, & invisibilium in creatura angelica & spirituali natura; nec fuisse in tempore, nec cœpisse alteram sine altera, nec prius unam, quam alteram.

His addimus Magistrum Sent. lib. 2. dist. 2. & S. Thomam hic q. 61. art. 3. ubi quod Angeli simul cum creatura corporea sunt creati, defendi ut probabilior sententiam. Et in O. sic argumentatur: Angeli sunt quadam pars universi: non enim constitunt per se unum universum, sed iam ipsi quàm creatura corporea in constitutione unius universi conveniunt. . . . Nulla autem pars perfecta est à suo toto separata. Non est igitur probabile ut Deus, cujus perfecta sunt opera, creaturam angelicam seorsum ante alias creaturas creaverit: quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, &c.

Hæc ratio non convincit. Aliam sumit in Sed contra ex Gen. c. 1. ubi dicitur: In principio Deus creavit cœlum & terram. Ex his autem verbis sic fit argumentum. Si Angeli ante mundum corporeum creati fuerunt, verum non est, quod Deus creaverit cœlum & terram in principio, hoc est, cum antea nihil prius creavisset. Consequens admitti non potest. Ergo, &c. Prob. sequela maj. autoritate S. Epiphani & S. Augustini. Hanc enim textus laudati interpretationem ut certam & indubitam tradit Epiphanius verbis supra relatis; ut probabilior verò Augustinus lib. 11. de Civ. c. 6. ubi sic loquitur: Porro si littera sacra maximeque veraces ita dicunt, in principio fecisse Deum cœlum & terram, ut nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cætera cuncta que fecit; proculdubio, &c.

Sed nec hoc argumentum planè convincit, quia textus Scripturæ duplicem aliam interpretationem, licet minus probabilem, admittere potest, ut docet S. Thomas art. laudato ad 3. ubi dicit illud, In principio, exponi posse vel in principio temporis, hoc est, antequam nihil fieret in genere corporalium creaturarum,

rum, vel in Filio, seu per Filium; quam expositionem non improbat S. Augustinus, sed eam est contra confirmat lib. 11. de Civ. c. 32.

His rationibus tertia additur ex Conc. Later. IV, c. Firmiter, ubi de Deo dicitur: *Qui sua omnipotentia virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corpoream, angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam*. Ergo Deus nec ante, nec post mundum corporalem, sed una cum eo condidit Angelos ab initio temporis, & cum primum coepit aliquid extra se producere in quovis creaturarum genere. Simile argumentum sumitur ex verbis Ecclesiastici c. 18. ubi de Deo dicitur: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul*.

Respondent nonnulli à Scriptura & Synodo eo simul sumi non pro similitudine durationis, sed pro communitate & paritate in dependentia à Deo ut Creatore. Quod, inquit, ex Scriptura manifestum est: Deus enim non uno & eodem momento, sed sex diebus fecit omnia. Sensus igitur Ecclesiastici est: Qui vivit in aeternum, creavit omnia pariter; & omnia, quae sunt, ex aequo dependent à Deo ut creatore & conservatore. Eundem autem esse Synodi sensum, non nisi gratis negabitur.

Sed contra est, quia praetermisso textu Ecclesiastici, dispar est ratio pro Lateranensi Synodo. Nam cum dicit, simul ab initio temporis angelicam & mundanam creaturam, ac deinde humanam à Deo conditam esse, videtur opponere particulam simul particulae deinde, cui aequivaleret particulae postea. Praeterea omnino videtur tempus sumere in propria significatione: tempus autem proprie significat durationem, vel si vis, mensuram durationis rerum corporali-um. Ergo omnino videtur hic esse Lateranensis Synodi sensus: Deus angelicam & mundanam creaturam uno & eodem illo puncto, quo coepit esse tempus, seu mensura durationis rerum corporearum, ac postea humanam naturam condidit. Sit igitur

RESPONSIO IV.

Angeli cum mundo corporeo, non ante, vel post à Deo creati sunt.

Hanc responsionem, ut patet ex dictis, sufficienter probat auctoritas Scripturae, Synodi Lateranensis, & Patrum pro eo allegatorum, quos sequuntur Magister, S. Thomas, & Scholastici communiter, quorum aliqui eam ut pertinentem ad fidem, & ab Ecclesia definitam, alii ut certam, nec sine temeritatis notam negabilem post Lateranensem Synodum, alii denique saltem ut probabiliorē defendunt.

RESPONSIO V.

Quo in loco creati fuerint Angeli, non satis constat.

Prob. Nam circa hoc nihil habemus expressè revelatum, aut ab Ecclesia definitum, aut communi Patrum consensu sancitum, & variae sunt Scholasticorum sententiae. Angelos in caelo empyreo, quod supremum est, conditos fuisse, docet S. Thomas hic q. 61. ar. 4. in O. & ratio ejus est, quia conveniens fuit quod Angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturae corporeae praesidentes. Sed hoc non convincit. Conditos fuisse extra caelum empyreum, docent alii, propter testimonium illud Isaeae c. 14. *In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*. Sed dici potest Prophetam tropicè exprimere Luciferi superbiā. Respondet S. Thomas Prophetam loqui non de caelo aliquo corporeo, sed de caelo sanctae Trinitatis.

RESPONSIO VI.

Numerus Angelorum maximus est, sed quantus sit est omnino incertum.

Prob. 1. pars ex Danielis c. 7. ubi de Angelis dicitur: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*.

Prob. 2. pars. Quia hoc sciri non potest nisi per revelationem. At nulla ejusmodi extat revelatio. Ergo, &c.

ARTICULUS VII.

Utrum specie, an numero tantum, inter se differant Angeli.

Angelos solo numero inter se differre, docuere Patres non pauci. Basilii lib. 3. contra Eunomium, ubi sic ait: *Angeli omnes, ut appellationis unus, sic ejusdem etiam sunt natura inter se*. Gregorius Nyss. orat. 6. contra eundem Eunomium in fine, ubi loquens de Angelis haec habet: *Qui dicit naturarum differentias in illis à Paulo collectis nominibus (cum ait: Principatus, & Throni, & Dominationes, &c. Coloss. 1.) significari, seipsum seducit... quia aperte nominum significantia demonstrat, quod Apostolus per haec nomina quarundam dignitatum differentias in intellectualibus virtutibus novit, non essentialium proprietates ostendit*. Gregorius Naziaz. in carmine de virginitate: *Natura, inquit, est omnibus (Angelis) una*. Cyrillus Alex. dialogo 1. de Trinitate, ubi ad hanc interrogationem, *An non similis est secundum naturam Angelus Angelo, & homo alteri homini?* respondet: *Ita plane*. Alibi tamen videtur contrarium asserere. Maximus Martyr in dialogo 1. de Trinitate, qui extat inter Athanasii opera: *Coessentialis, inquit, est, quod eandem essentia rationem recepit, ut homo ab homine nihil differt, quatenus homo est, & Angelus ab Angelo, quatenus Angelus est, & Deus à Deo nihil differt, quatenus Deus est, &c.* Sit tamen

RESPONSO.

Utrum Angeli solo numero, an etiam specie differant, satis compertum non est.

Prob. 1. Ex S. Augustino, qui ingenue fateretur hoc se ignorare, lib. contra Origenistas. Ejus verba notatu digna sunt. *Clamat divina Scriptura, inquit: Altiora te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quae tibi praecepit Dominus, illa cogita semper: ut magis in istis temeraria praesumptio, quam cauta ignoratio culpanda videatur*. Certe ait Apostolus: *Sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in caelestibus apparatibus, firmissimè credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse Doctorem, quamvis ista sint, & quid inter se differant, nescio*.

2. Ex S. Damasceno lib. 2. orth. fid. c. 3. ubi sic loquitur: *Ac de essentia quidem, aequalesne inter se, an dispaes sint (Angeli) haud quanquam compertum habemus: solus ille scit, qui eos creavit Deus, quique omnia perspecta & explorata habet*.

3. Ratione: quia Deus potuit Angelos numero tantum, potuit etiam specie differentes creare. Utrum autem fecerit, neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque naturali discursu satis compertiri potest.

ARTICULUS VIII.

De loco, motu locali, & duratione Angelorum.

RESPONSIO I.

Angeli sunt in loco.

Prob. Illud est in loco, quod est alicubi. Atqui Angeli sunt alicubi. Ergo, &c. Prob. min. Nam vel sunt alicubi, vel sunt ubique. Non secundum: nam solus Deus ubique esse potest, quia solus immensus est. Ergo primum. Amplius. Illud est in loco, quod ita occupat spatium aliquod finitum, ut extra illud nec sit, nec esse possit naturaliter. Atqui Angelus quilibet sic occupat spatium aliquod finitum, ut extra illud nec sit, nec possit esse naturaliter: quilibet enim Angelus finitam & limitatam habet extensionem virtuales, quia soli Deo competit extensio virtualis illimitata. Ergo, &c. Dixi virtuales, quia cum Angeli sint incorporei, non habent extensionem formalem: & si corporei essent, adedque extensio-

ensionem formalem haberent, multo magis haberent finitam & limitatam. Ergo Angelos esse in loco ambigi non potest.

Hanc doctrinam tradunt Patres, ut Theodor. q. 3. in Genesim, ubi sic ait: *Certum est Angelos determinate esse substantia. Quod si verum est istud, sicuti profecto est, loco utique opus habebunt.* Et Damascenus lib. 2. orth. fid. c. 3. ubi de Angelis sic loquitur: *Atque circumscripti quidem illi sunt (hoc est, limitatam habentes extensionem virtuales,) nec enim in terra versantur, cum in celo sunt: nec, cum a Deo ad terram mittuntur, in celo remanent.*

RESPONSIO II.

Angeli non sunt in loco circumscriptivè, sed definitivè.

Ad prob. nota. Duplex est modus existendi in loco, circumscriptivè scilicet, & definitivè. Illud dicitur esse in loco circumscriptivè, quod habet extensionem formalem, & cuius proinde diversae partes diversis partibus loci correspondent: hoc modo omnia & sola corpora sunt in loco. Illud dicitur esse & est in loco definitivè tantum, quod ita finitum spatium occupat, ut extra illud nec sit, nec esse possit naturaliter; & quia non habet extensionem formalem, sed virtuales tantum, non habet partes distinctas, extra se invicem positas, quibus distinctis partibus spatii correspondeat: unde dicitur esse totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatii; totum quidem in toto spatio, quia extra spatium, quod occupat, nulli est; totum verò in qualibet parte spatii, quia per simplicem entitatem, adeoque virtualiter tantum extensionem, omnibus & singulis partibus spatii correspondet per intimam praesentiam seu indistantiam. Hoc modo omnes & solae incorporeae creaturae sunt in loco saltem naturaliter. Hinc

Prob. Resp. Creaturae incorporeae sunt in loco definitivè tantum. Atqui Angeli sunt incorporei. Ergo, &c. Hanc doctrinam tradit Damascenus, cum ait loco proxime citato: *Ceterum nec manibus, nec portis, nec repagulis, nec sigillis circumscribuntur (ad modum corporum,) non enim terminis ullis includuntur (sicut corpora) ... nam alioqui id solum natura ac proprie terminis caret, quod minime creatum est. Omnis enim condita res a Conditoris Deo terminatur, (accipiendo scilicet ab eo determinatam extensionem, sive formalem, sive virtuales tantum) ... Jam verò cum mentes sint, in ejusmodi quaque locis sunt, quae mente ac ratione intelliguntur: non quod corporea modo circumscribantur: neque enim corporeo modo, quantum ad naturam attinet, figurantur, nec tribus dimensionibus constant: verum quia ubi imperatum fuerit, illic spiritaliter adsunt atque operantur, non eodem tempore hic atque illic esse atque operari possunt.*

RESPONSIO III.

Plures Angeli possunt esse in eodem loco naturaliter.

Prob. Nam illa tantum naturaliter sese excludunt ab eodem loco, quae habent extensionem formalem impenetrabilem, ut duo corporea. Unde anima naturaliter est in eodem loco cum corpore. Atqui Angeli non habent extensionem formalem, & multo minus impenetrabilem habent, cum sint spiritus. Ergo, &c.

Quaer. Per quid Angelus determinetur ad hoc, ut sit in hoc loco potius, quam in alio. *R. breviter,* determinari quasi efficienter per potentiam motricem, formaliter verò per substantiam suam ut indistantem; non autem sive per modum ubicationis supervenientem, quia hic modus superfluous est; & sufficit indistantia substantiae; sive per operationem, quia prius est Angelum huic loco per substantiam suam praesentem esse, quam in eo operari posse.

RESPONSIO IV.

Angeli moveri possunt localiter.

Prob. 1. ex Script. Nam Luc. c. 1. dicitur: *Missus est Angelus Gabriel a Deo ... ad Virginem ... Et in-*

gressus Angelus ad eam, dixit ... & discessit ab illa Angelus. Quae verba in propria significatione accipi debent, cum nulla sit ratio ea aliter accipiendi. Unde assertio nostra est de fide. Nec dic verba illa tam improprie accipienda esse, quam illud, quod in symbolis dicitur de Verbo, seu de Filio: *Qui descendit de caelis, & incarnatus est,* accipiendum est. Nam disparitas est, quia cum Verbum sit Deus, habet extensionem virtuales interminatam, & vi immensitatis suae ubique locorum est: quod autem est ubique, moveri non potest localiter. Unde cum descendere de caelo dicitur de Verbo, non nisi improprie dici manifestum est, ad significandum scilicet novum quendam in terra existendi modum.

Prob. 2. Ex Patribus, Ambrosio scilicet lib. 1. de Spir. S. c. 10. ubi sic ait: *Seraphim de loco in locum transit: non enim complet omnia ... Seraphim descendit cum aliquo secundum naturam suam transitu.* Gregorio Naziaz. orat. 2. de Theologia sub finem, ubi haec habet: *Hi (Angeli) divina voluntatis ministri sunt ... loca omnia peragrant, &c.* Damasceno verbis supra laudatis; & Chrysostomo hom. 3. in Epist. ad Hebraeos, ubi sic ait de Angelis: *Hi verò loca mutant, & prioribus relictis, in quibus sunt, ita ad alia pergunt, in quibus non erant.*

Prob. 3. ratione. Quia quod non est ubique, sed est in loco determinato, locum mutare, seu de loco in locum transire, quod est moveri localiter, nil repugnat. Atqui Angeli non sunt ubique, sed in loco determinato. Ergo, &c.

Obj. S. Bernardum serm. 5. in Cantica, ubi sic loquitur: *Non est discurrere, nec de loco ad locum transire, nisi corporum, quod frequenter Angelos facere tam indubitata quam nota probat autoritas, Scripturae scilicet. R. S. Doctorem assertionem nostram probare, cum ait, notum & indubitatum esse ex Scriptura, quod Angeli de loco ad locum transeant. Ad id quod dicit proprium esse corporum transire de loco ad locum, unde concludit Angelos habere corpora, quia de loco ad locum transeunt, R. dist. Proprium est corporum transire de loco ad locum per contactum quantitativum, seu successivè contingendo commensurabiliter distinctas partes spatii interjacentis, C. Transire de loco ad locum quovis modo, N. Unde N. conclusionem S. Doctoris.*

Itaque Angeli non possunt quidem transire de loco ad locum per contactum quantitativum, quia non habent extensionem formalem, adeoque non habent partes extra partes, quibus possint successivè correspondere & commensurari distinctis partibus spatii. At possunt v.g. de loco sibi adequato ad alium locum sibi adequatum & contiguum transire motu continuo: possunt enim continuè, seu absque ulla per quietem interruptione, spatium sibi adequatum, quod occupant, per partes deferere, eadem proportionem spatii contigui partes occupando; vel, si vis, possunt, nulla interposita morula, prius minorem spatii, quod occupant, partem, quam majorem, relinquere, eadem proportionem prius minorem spatii contigui partem, quam majorem, acquirendo, ad quod aliquid temporis requiritur.

Possunt igitur Angeli in tempore motu continuo de loco sibi adequato ad alium locum sibi adequatum & contiguum transire: imò de uno ad alium transire possunt in instanti: cum enim Angelus totus sit in singulis partibus loci, quem occupat, totus est in contactu hujus loci cum alio contiguo: unde nihil vetat, quominus in eodem puncto unum deferat totaliter, & alterum totaliter acquirat.

Hinc Angelus de loco, quem occupat, transire potest ad alium locum distitum, non solum motu continuo, quod difficultatem non habet, sed etiam motu discreto: potest enim in instanti totum locum, quem occupat, deferere, & totum contiguum acquirere; deinde interposita morula, in instanti relinquere totum hunc secundum locum, & simul acquirere totum tertium contiguum, atque ita deinceps.

Dixi, interposita morula: nam alioquin Angelus posset

posset in eodem puncto esse ubique, quod est fallum & absurdum: quamquam ita sentit Tertullianus in apologetico cap. 22. *Omnis, inquit, spiritus ales est. Hoc Angeli & demones. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis illis locus unus est. Quid ubique geratur tam facile sciunt, quam enunciant. Velocitas, divinitas creditur; quia substantia ignoratur. Nisi tamen cum exaggeratione loqui dicatur, ad exprimendam incredibilem Angelorum velocitatem, quam sic exprimit Gregorius Nazianz. orat. 2. de Theol. Omnibus ubique impigri adsunt ... natura levitate.*

RESPENSIO V.

Angeli durant, formaliter per suam substantiam, efficienter verò per omnipotentiam divinam.

Prob. 1. pars. Illud durat, quod permanet in esse. Sed Angeli permanent in esse. Ergo, &c. *Prob. 2. pars.* Per id Angeli formaliter durant, per quod formaliter permanent in esse. Sed per suam substantiam formaliter permanent in esse, sicut per suam substantiam formaliter sunt. Ergo, &c. *Prob. 3. pars.* Per illud Angeli durant efficienter, à quo in esse conservantur. Sed conservantur in esse ab omnipotentia divina. Ergo, &c. Sed

Nota. Duratio triplex distinguitur, aeternitas scilicet, aevum, & tempus. Aeternitas est duratio rei simplicis, carentis principio & fine. Aevum est duratio rei simplicis, habentis principium, sed carentis fine. Tempus est duratio rei habentis partes, principium, & finem. Tempus subdividitur in permanentem & successivum. Tempus permanens est duratio rei habentis principium, finem, & omnes partes simul. Tempus successivum est duratio rei habentis principium, finem, & suas partes successivè tantum. Hinc duratio Dei est aeternitas, duratio Angeli aevum, duratio hominis tempus permanens, duratio cuiuscumque motus localis tempus successivum. Tempus tamen simpliciter dicitur duratio illa successiva, quæ ab hominibus ad mensurandas alias durationes, easque inter se comparandas assumpta est, & extrinsecè divisa in varias partes, in horas, dies, menses, annos, &c.

DISPUTATIO II.

De cognitione, locutione, & volitione Angelorum.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli cognoscant secreta cordium.

RESPENSIO.

Angeli non possunt naturaliter certò cognoscere secreta cordium, hoc est, actus liberos alterius, sive hominis, sive Angeli, sine eius consensu. Est de fide, vel saltem proxima fidei.

Prob. 1. Illud non competit naturaliter Angelis, quod soli Deo attribuunt sacra Scriptura. Atqui certò cognoscere secreta cordium, soli Deo attribuunt sacra Scriptura. Ergo, &c. Major patet: quod enim soli Deo attribuitur, vel frigide & falsò sic attribuitur, vel nullatenus potest, aut saltem naturaliter non potest competere ulli creaturæ.

Prob. ergo min. Nam dicitur lib. 3. Reg. cap. 8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Quod iidem verbis repetitur lib. 2. Paralipp. cap. 6. Lib. 1. Paralipp. cap. 28. *Omnia corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit.* Plal. 43. *Nonne Dominus requirit ista? ipse enim novit abscondita cordis.* Jer. cap. 17. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognosceret illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Et Hebr. cap. 4. *Virus est sermo Dei & efficax ... discretor cogitationum & intentionum cordis: & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.*

Scripturis suffragantur Patres, ut Origenes hom. 7. in Genesim: *Deo soli, inquit, cognitum est propositum.* *Sic interpret Theol. Tom. 1.*

tum mentis. S. Hieronymus in verba Jeremiae à nobis laudata: *Melius est, inquit, ut simpliciter accipiamus, quòd nullus cognitionum secreta cognoscat, nisi solus Deus.* Et inferius: *Per quæ discimus, solum Deum nosse cogitationes eorum.* S. Chrysostomus hom. 24. in Joan. *Humanorum, inquit, cordium cognitio solus Dei est, qui ea formavit.* S. Augustinus serm. 6. de diversis: *Cogitationes, inquit, quas modo non videt nisi Deus, omnes invicem videbunt in illa societate sanctorum ... Cor videre Dei est.* S. Cyrillus Alex. lib. 2. in Joan. cap. 1. de Nathanaele loquens, sic ait: *Norat probè Deum scrutatorem esse cordium, nec ulli alteri mentem hominis patere, illud, opinor, Psalmista animo revolvens: Scrutans corda & renes Deus.*

Prob. 2. Illud saltem naturaliter competere non potest Angelis, quod invictissimum est divinitatis argumentum. Atqui certò cognoscere secreta cordium, est invictissimum divinitatis argumentum. Ergo, &c. Major patet. *Prob. min.* Illud est invictissimum divinitatis argumentum, quo Christus demonstravit se esse Deum. Sed Christus ostendendo se certò cognoscere secreta cordium, demonstravit se esse Deum. Ergo, &c.

Prob. min. ex Patribus. Nam sic loquitur S. Ambrosius lib. 5. in Luc. *Dominus salvos volens facere peccatores, occultorum cognitione Deum se esse demonstrat.* Et S. Hieronymus loco supra laudato: *Si de Salvatore dicitur: Videns autem cogitationes eorum Jesus, nullusque potest videre cogitationes eorum, nisi solus Deus: ergo Christus Deus est, qui scrutatur corda, & probat renes.* Et S. Cyrillus Alex. loco item supra laudato: *Quenam igitur est illa ratio, quæ ad fidem (divinitatis Christi) adducit? Cognitio Deo conveniens. Omnia enim nosse uni Deo convenit. Excipit ergo (Jesus) Nathanaelem, non assentatiunculis eum sibi concilians, sed expositis iis quorum conscius erat, hominum corda quæ Deus est se nosse confirmans.* Et S. Petrus Chrysologus serm. 50. *Cape ejus divinitatis insignia: audi eum pectoris tui penetrasse secretum; aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse: intellige eum cordis tui tacita nudare consilia.* S. denique Fulgentius lib. 2. ad Transmendum cap. 16. *Filius igitur ubique presens est, idem omnes audit & videt, & maiestatis sue plenitudine in abdita quoque & occulta penetrat, nec clamoribus admonendus est, qui cogitationes videt; adeoque verè Deus est.*

Prob. 3. ratione: quia dignitati & excellentiæ naturæ intellectualis cuiuslibet connaturaliter debetur perfectum in actus liberos dominium, vi cuius de illis perfectè possit disponere, non solum quantum ad eorum productionem, vel permanentiam in esse, sed etiam quantum ad eorum manifestationem, ita ut non nisi ea consentiente, alteri naturæ rationali patere possint. Ergo necessarius ad certam actuum ejus liberiorum notitiam concursus non nisi ea consentiente connaturaliter à Deo exhiberi potest alteri naturæ intellectuali. Ergo actus ejus liberi, ea non consentiente, ab altera naturæ intellectuali cognosci non possunt, nisi dependentè à concursu supernaturali, vel saltem præternaturali. Atqui quod non potest aliter cognosci, non potest cognosci naturaliter, ut patet ex terminis. Ergo, &c.

Confirm. Ex S. Thoma hic q. 57. a. 4. in o. ubi sic ait: *Solus Deus cognoscit cogitationes cordium, & affectiones voluntatum cognoscere potest. Cuius ratio est, quia voluntas rationalis creatura soli Deo subjacet, & ipse solus in eam operari potest.* Ex quibus verbis sic argumentor. Dominium quod habet creatura rationalis in actus suos liberos, subordinatur dominio Dei, qui est supremus rerum omnium Dominus. Ergo creatura rationalis jus non habet, ut actus ejus liberi non innotescant Deo ut sunt in se, nisi ea consentiente. E contra dominium quod habet creatura rationalis in actus suos liberos, non subordinatur dominio alterius creaturæ rationalis. Ergo jus habet, ut actus ejus liberi alteri creaturæ rationali non innotescant ut sunt

X in se,

in se, nisi ipsa consentiat. Ergo exigit, ut non nisi ipsa consentiente, necessarius ad certam actum ejus liberorum ut sunt in se notitiam concursus exhibeatur alteri creaturae rationali. Ergo actus liberi creaturae rationalis soli Deo ut sunt in se innoscunt naturaliter, quia creatura rationalis soli Deo subjacet, sive quia creatura rationalis in actus suos liberos dominium dominio solius Dei subordinatur.

Porrò diximus Angelos non posse naturaliter certò cognoscere secreta cordium: dubium enim non est, quòd ea cognoscere possint conjecturaliter ex quibusdam signis seu effectibus, quibuscumque necessariam non habeant connexionem. Hoc dicit S. Thomas loco citato. *Cogitatio cordis, inquit, dupliciter potest cognosci. Uno modo in suo effectu; & sic non solum ab Angelo, sed etiam ab homine cognosci potest; & tanto subtilius, quanto effectus huiusmodi fuerit magis occultus. Cognoscitur enim cogitatio interdum non solum per actum exteriorem, sed etiam per immutationem vultus; & etiam Medici aliquas affectiones animi per pulsus cognoscere possunt, & multo magis Angeli, vel etiam demones, quanto subtilius huiusmodi immutationes occultas corporales percipiunt.* De hac autem conjecturali Angelorum cognitione intelligendus est S. Augustinus lib. de divinatione c. 5, cum ait: *Angeli hominum dispositiones non solum voce prolatis, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quedam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt; ut observat S. Thomas.*

ARTICULUS II.

Utrum Angeli cognoscant futura strictè contingentia.

RESPONSIO. I.

Angeli non possunt naturaliter certò cognoscere futura strictè contingentia. Est de fide.

Prob. Futura strictè contingentia sunt ea, quae immediatè vel mediatè dependent à causis liberis. Atqui ejusmodi futura non possunt naturaliter certò cognosci ab Angelis. Ergo, &c. Prob. min. Nam si possent naturaliter ab Angelis certò cognosci, possent naturaliter ab illis certò praedici. Consequens evidenter repugnat Scripturae sacrae, & Patribus. Ergo, &c.

Prob. min. Nam Scriptura sacra & Patres certam futurorum strictè contingentium praedictionem Deo propriam esse, evidenter docent. Sic Isaia c. 41. dicitur: *Accedant (Gentium idola) & nuncient nobis quaecumque ventura sunt. . . . Quae ventura sunt indicate nobis. Annunciare quae ventura sunt in futurum, & scimus quia Dii estis vos, Et c. 46. Ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei, annuncians ab exordio novissimum, & ab initio quae necdum facta sunt dicens.*

Suffragantur Patres, ut Tertullianus in Apol. c. 20. ubi sic ait: *Idoneum, opinor, testimonium divinitatis, veritas divinationis.* Et S. Chrysostomus homil. 18. in Joan. *In miraculis, inquit, saepe sub veritatis umbra decipi possumus: certa autem praedictio futurorum, immortalis Dei dumtaxat opus est. Quòd si quando demones aliquid praedixerunt, stultum & incautum vulgus deceperunt: eorum namque vaticinia passim falsa deprehenduntur.*

Confirm. Illud non potest naturaliter Angelis competere, quod soli Deo naturaliter convenit. Atqui certò cognoscere futura strictè contingentia, soli Deo naturaliter convenit. Ergo, &c. *Prob. min.* ex Patribus. Nam sic loquitur S. Hilarius lib. 9. de Trin. n. 61. *Proprium autem Deo quid aliud (magis) quam cognitio futurorum est? Et S. Cyrillus lib. 4. in Joan. c. 4. Nulli alii, quam uni ac soli naturali Deo, futura nosse convenit, de quo & scriptum est: Qui novit omnia antequam fiant. Addi potest consensus mortalium omnium, etiam Ethnorum, quibus adeò persuasum fuit verum divinitatis characterem esse praenotionem futurorum, ut eorum praedictionem nomine divinationis nuncuparint, & homines, qui futura praedicebant, divinos, hoc est, homines divi-*

nitus inspiratos appellaverint. Quam ob rem demon, ut se Gentilibus probaret Deum, in variis orbis partibus olim fundebat oracula, quibus praenunciabat eventus futuros.

Prob. 2. ratione. Nam si Angeli possunt naturaliter certò cognoscere futura strictè contingentia, vel possunt ea certò cognoscere immediatè in se ipsis, vel saltem mediatè in complexione causarum, à quibus dependent. Neutrum dici potest. Non primum: cum enim futura, quandiu futura sunt, non aliud habeant in se, quam veritatem objectivam, non possunt immediatè in se ipsis cognosci, nisi ab intellectu increato, qui ob summam suam perfectionem summè completus & determinatus est ad cognoscendum omne cognoscibile, hoc ipso praecise quòd cognoscibile est, adeoque ad immediatam cognitionem objecti nihil aliud praerequirir ex parte illius, quam meram intelligibilitatem, seu, quod idem est, quam veritatem objectivam, hoc est, posse aliquid de eo verè enunciarri. Non etiam secundum: nam futura certò cognosci non possunt in complexione causarum à quibus dependent, nisi cum illa necessariam habeant connexionem. Sed futura strictè contingentia non habent necessariam connexionem cum complexione causarum suarum; cum ex his causis saltem aliqua sit libera, & ad opposita activè indifferens, quae proinde non nisi contingentem habere potest connexionem cum eventu futuro, ab ea dependente. Ergo, &c.

Dices. Potest naturaliter Angelus certò cognoscere futurum ope speciei sibi concreatae, futurum illud representantis. Ergo potest naturaliter Angelus certò cognoscere futurum immediatè in se ipso: objectum enim quod per speciem cognoscitur, dicitur immediatè in se ipso cognosci. *R.* Esto ant. Neg. conseq. Dato enim quòd species ejusmodi sit possibilis, sequitur tantum quòd Angelus possit supernaturaliter aut praeternaturaliter certò cognoscere futurum immediatè in se ipso. Ratio est, quia species ejusmodi nulli intellectui creato connaturalis esse potest; alioqui Scripturae & Patres gratis & falso dicerent futurorum certam praenotionem esse characterem divinitatis. Atqui cognitio certa, quae sine medio supernaturali vel saltem praeternaturali haberi non potest, non est naturalis, sed supernaturalis, vel saltem praeternaturalis cognitio. Ergo, &c.

Non possunt igitur naturaliter Angeli futura strictè contingentia certò cognoscere, certitudine scilicet, cui saltem de lege ordinaria subesse falsum non potest, quae physica certitudo dicitur: nam de hac etiam certitudine, & non solum de metaphysica, responsio nostra intelligenda est. At ex hominis temperamento, habitibus, vivendi & agendi ratione, consiliis exterius manifestatis, occasionibus, & aliis ejusmodi indicibus, possunt futuram ejus determinationem conjicere verisimiliter, imò & interdum certò certitudine morali, modò majore, modò minore.

Dices. Boni Angeli certò praenunciant futura libera. *R.* dist. Certò praenunciant futura libera, certò cognita naturaliter, N. Certò cognita per revelationem eis factam à Deo, cujus ministri sunt & organa, & cujus nomine futura illa praenunciant, C. Audiamus Sanctum Damascenum lib. 2. orth. fid. cap. 4. ubi ita loquitur: *Ac futura quidem, tamen si ea nec Dei Angeli, nec demones norint (naturaliter) utrique tamen praedicunt, sed dispari modo. Angeli enim futuros eventus non aliter praedicunt, quam Deo ipsis quae futura sunt deigente, ac praedicere imperante. Quo fit, ut ea omnia eveniant, quae ab ipsis praedicuntur. Demones autem ipsi quoque praedicunt, interdum videlicet, quia ea, quae procul geruntur, cernunt: interdum sola conjectura ducti. Ex quo etiam efficitur, ut plerumque mentiantur.*

Queres, utrum saltem futura latè contingentia certò cognoscant naturaliter Angeli?

R. Futurum latè contingens dicitur illud, quod dependet à causis necessariis, & ex se ad unum determinatis, sed quae ab aliis causis naturalibus impediti pos-

possunt. Jam verò causæ illæ, à quibus dependet futurum latè contingens, vel impediuntur ut in pluribus, vel ut in paucioribus tantum. Si primum, Angeli non possunt habere nisi levem conjecturam de futuro latè contingenti. Si secundum, possunt Angeli naturaliter de futuro latè contingenti moralem habere certitudinem, & quidem eò majorem, quòd causas, à quibus futurum illud dependet, rariùs contingit impediri.

Hinc argue Angelos nequidem circa futura latè contingentia habere posse naturaliter certitudinem, quæ nunquam fallat: moralis enim certitudo quælibet aliquando fallit. Hinc futura latè contingentia certò & absque omni erroris periculo præcognoscere, soli Deo, ut aliquid ipsi proprium, attribuit sacra Scriptura. Sap. c. 8. ubi dicitur de divina Sapientia: *Signa & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum & seculorum.* Hinc, ut ait S. Augustinus in lib. de divinatione c. 6. *In suis prædictionibus demones plerumque falluntur, cum causis naturalibus aliqua, sicut medici, aut nautæ, aut agricola, sed longè acutius, longèque præstantius ... prænoscent.*

Quæres, utrùm Angeli possint naturaliter cognoscere mysteria gratiæ futura?

R. Non possunt. Nam mysteria gratiæ futura dependent à solo divinæ voluntatis decreto. Sed actus liberi divinæ voluntatis non possunt naturaliter cognosci ab Angelis, juxta illud Apostoli 1. Cor. c. 2. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Ergo, &c.

Quæres, utrùm saltem Angeli possint naturaliter cognoscere mysteria gratiæ postquam facta sunt?

R. Mysteria illa gratiæ vel supernaturalia sunt secundum se, vel supernaturalia sunt secundum modum productionis tantum. Si primum, non possunt naturaliter cognosci ab Angelo. Ratio est, quia sunt in superiori ordine relatè ad res naturales, & ita superant captum intellectus naturalis, qualis est intellectus angelicus. Si secundum, naturaliter cognoscuntur ab Angelo, quia sunt ordinis naturalis, & ita captum intellectus angelici superare non possunt; quamquam modus quo facta sunt, quia supra naturam est, saltem clarè ab eo non possit attingi.

Hinc Angelus non potest naturaliter cognoscere hominem esse justificatum, quia non potest naturaliter cognoscere gratiam sanctificantem, cujus infusione justificatur homo. At potest naturaliter cognoscere hominem resurrexisse, videns hominem antea mortuum, nunc vivere: quamvis naturaliter non possit saltem clarè attingere modum, quo facta est hæc resurrectio.

ARTICULUS III.

Quomodo Angelus res naturales cognoscat.

Responsio I. Angelus cum solo concursu sibi connaturaliter debito cognoscit intuitivè, 1. propriam substantiam, & omnes actus suos naturales. 2. Omnes alias substantias, tam materiales quàm spirituales indistantes, seu quibus intimè præsens est. 3. Omnes alias substantias, tam materiales quàm spirituales, intra sphaeram ejus visibilitatis positas.

Ratio est, quia hæc omnia objecta sunt intelligibilia, proportionata intellectui angelico, eique sufficienter applicata ad cognitionem intuitivam, ad quam proinde præter activitatem intellectus angelici, & concursum ei connaturalem, aliquid ulterius frustra requireretur. Itaque intellectus angelicus ex intrinseca perfectione determinatus est ad claram horum objectorum ut existentium & præsentium perceptionem, ipsum de eorum existentia & præsentia in eo modo, qui ad intuitionem requiritur, certificantem; unde solo concursu, quem connaturaliter exigit, exhibitio, non potest hæc objecta non sic percipere, adeòque ea non intuitivè cognoscere.

Responsio II. Angelus non potest cum concursu sibi connaturaliter debito, & aliis, si quæ sunt, ad intuitivam cognitionem naturaliter requisitis, intuitivè cognoscere res existentes, extra certum spatium positas: potest tamen eas quantumlibet distantes, abstractivè cognoscere, sicut & res præteritas.

Ratio primæ partis est, quia Angelus quilibet habet sphaeram visibilitatis, tantò quidem majorem, quantò excellentioris est naturæ, sed limitatam; adeòque cujuslibet Angeli potentia videndi non extenditur naturaliter nisi usque ad determinatam aliquam distantiam, ultra quam objecta existentia intueri non potest, nisi per aliquid sibi indebitum, ad intuentum confortetur.

Ratio secundæ partis est, quia homo potest naturaliter res existentes, quantumlibet distantes, abstractivè cognoscere. Ergo à fortiori potest Angelus. Et verò potest Angelus meminisse objecti absentis, quod aliàs vidit; potest & objectum abiens, quod nunquam vidit, nosse per relationem alterius Angeli, &c.

Ratio terciæ partis est, quia Angeli naturaliter reminiscuntur actuum quos elicerunt, eorum quæ gesserunt, pactorum quæ cum hominibus inierunt, &c. Quid autem ad hanc præteritorum vel absentium recordationem in Angelis, præter naturalem intelligendi vim & concursum connaturaliter debitum, requiratur, aliis quibus per otium licet, disputandum relinquimus.

Quæres, utrùm Angeli Deum cognoscant naturaliter.

R. 1. Angelus naturaliter cognoscit Deum existere. Nam naturaliter comprehendit substantiam suam. Ergo naturaliter cognoscit evidenter essentialem dependentiam substantiæ suæ à Deo creatore & conservatore, adeòque essentialem existentiam suæ cum existentia Dei creatoris & conservatoris connexionem. Non potest autem hanc connexionem evidenter cognoscere, quin simul & indivisibiliter cognoscat evidenter, non quidem intuitivè, sed abstractivè, actualem & exercitiam Dei existentiam, Ergo, &c.

R. 2. Angelus nunquam cessare potest ab evidenti cognitione, quamvis abstractiva tantum, Dei ut existentis & præsentis. Ratio est, quia nunquam cessare potest à cognitione comprehensiva sui, adeòque nunquam cessare potest ab evidenti cognitione essentialis connexionis existentiam suæ cum existentia Dei creatoris & conservatoris.

R. 3. Angelus naturaliter cognoscit evidenter, licet abstractivè tantum, plerumque perfectiones divinas. Nam naturaliter cognoscit evidenter, licet abstractivè tantum, Deum esse ens à se, ens quo nihil melius esse vel cogitari potest, ens illimitatum in omni genere perfectionis, adeòque ens æternum, immutabile, immentum, immateriale, omnipotens, &c. Hæc enim omnia evidentem habent connexionem cum aſcitate.

R. 4. Angelus non potest naturaliter cognoscere Deum intuitivè. Nam cognitio intuitiva Dei soli Deo connaturalis est. Præterea creatura intellectualis Deum intuitivè videre non potest sine lumine gloriæ. At nulli creaturæ intellectuali connaturale esse potest lumen gloriæ: alioqui creatura intellectualis esset naturaliter beata, impeccabilis, &c. quæ sunt inconvenientia.

ARTICULUS IV.

Utrùm Angeli inter se colloquantur, & quomodo.

RESPONSIO I.

Angeli colloquantur inter se.
Prob. 1. ex Script. Nam Zachariæ c. 2. dicitur: *Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum ejus, & dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum.* Et Apocal. c. 7. *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis... & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est, &c.* Et 1. Cor. c. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, &c.*

Prob. 2. ex Patribus. S. Basiliius hom. in verba illa

X 2

Joan-

Joannis, *In principio erat Verbum*, sic ait: *Innuere nobis Apostolus videtur, Angelos propriam habere linguam, dicens: Si linguis loquar hominum & Angelorum. Et S. Chrysostomus hom. 32. in 1. Cor. Linguam Angelorum dicit, non qui spiritibus corpus affingat: sed si ea loquar lingua, quia utuntur inter se ipsi, nullus tamen fuero, inquit, sine charitate. Et Theodoretus comment. in eand. Epist. Angelorum linguas dicit, non quæ sensu, sed quæ intelligentia percipiuntur, per quas & universorum Deum laudant, & inter se differunt. Et Theophylactus comment. in eandem Epist. Angelis lingua est intellectualis, vis nimirum illa, quæ sibi mutuo divinarum rerum intellectum ac divinas cogitationes impertunt.*

Prob. 3. ratione: quia Angeli constituunt inter se societatem moralem, & spirituales quandam rempublicam, Atqui ad hoc necessarium requiritur, ut possint inter se colloqui, & quidem locutione sibi libera, aliorum excitativa ad audiendum, & secreta, ita ut non percipiatur, nisi ab iis, ad quos dirigitur. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Angelus alteri Angelo loquitur, manifestando illi actum intellectus sui, vel suæ voluntatis.

Prob. Nam Angelus alteri Angelo loquitur, dicendo illi vel id quod intelligit, vel id quod vult. Atqui dicit illi id quod intelligit, manifestando ei intellectiōnem, quæ intelligit: item dicit illi id quod vult, manifestando ei volitionem, quæ vult. Alter enim Angelus cognoscendo intuitivè intellectiōnem ejus, simul & indivisibiliter cognoscit abstractivè objectum ab eo intellectum: similiter cognoscendo intuitivè volitionem ejus, simul & indivisibiliter cognoscit abstractivè objectum ab eo volitum. Ergo, &c.

Angelus autem alteri Angelo manifestat intellectiōnem vel volitionem suam, intellectiōnem vel volitionem suam liberè ordinando seu dirigendo ad alterum Angelum per actum, quo liberè vult, ut illi pateat intellectiō vel volitio sua: hoc ipso enim intellectiō vel volitio Angeli loquentis desinit esse naturaliter secreta relatè ad alterum Angelum, cui loquitur, & ita hoc ipso alter Angelus, cui loquitur, excitatur ad audiendum illam, seu determinatur ad intuitivam cognitionem intellectiōnis vel volitionis illius, adeoque ad cognitionem abstractivam objecti, quod intelligit, aut quod vult.

Angelus igitur alteri Angelo loquitur, intellectiōnem vel volitionem suam liberè ordinando ad illum, volendoque ut illi pateat: hoc ipso enim manifestat illi intellectiōnem vel volitionem suam, & in intellectiōne vel volitione sua objectum quod intelligit, aut vult. Quod est, objectum, quod intelligit aut vult, illi dicere.

RESPONSIO III.

Verbum Angeli loquentis est ejus intellectiō vel volitio, quam ad alterum Angelum liberè ordinat.

Prob. Nam verbum Angeli loquentis est id, quo alteri Angelo, cui loquitur, dicit objectum quod intelligit, aut vult. Sed id quo alteri Angelo, cui loquitur, dicit objectum quod intelligit, est intellectiō, quæ intelligit objectum, & quam liberè ordinat ad alterum Angelum: item id quo alteri Angelo, cui loquitur, dicit objectum quod vult, est volitio, quæ vult objectum, & quam dirigat ad alterum Angelum. Ergo, &c.

Prob. min. Nam per id Angelus loquens dicit objectum, quod intelligit aut vult, quo objectum ab eo intellectum aut volitum innotescit alteri Angelo, cui loquitur, est intellectiō, quæ objectum intelligit, & quam ad eum dirigat: similiter id quo objectum ab eo volitum innotescit alteri Angelo, cui loquitur, est volitio, quæ objectum vult, & quam ad eum ordinat. Ergo, &c.

Hinc locutio Angeli est productio intellectiōnis aut volitionis, quam liberè dirigat ad alterum Angelum. Nam locutio est productio verbi. Verbum autem

Angeli est intellectiō vel volitio, quam ad alterum liberè dirigat.

Hinc lingua seu potentia locutiva Angeli modò est intellectus, modò voluntas; intellectus quidem, cum dicit alteri Angelo id quod cogitat, sive cum aliquam suam intellectiōnem dirigat ad alterum Angelum: voluntas verò, cum dicit alteri Angelo id quod vult, sive cum aliquam suam volitionem ad alterum Angelum dirigat. Nam lingua seu potentia locutiva est potentia productiva verbi. In primo autem casu verbum Angeli est intellectiō, in secundo verò volitio, ad alterum Angelum liberè directæ.

Hinc libera voluntatis ordinatio, qua unus Angelus ad alterum Angelum dirigat intellectiōnem vel volitionem suam, est tantum conditio sine qua non; & in Angelo liberè ordinare intellectiōnem aut volitionem suam ad alterum Angelum, non est aliud, quam ponere meram conditionem, sine qua intellectiō aut volitio Angeli non esset verbum, adeoque sine qua productio intellectiōnis aut volitionis non esset locutio, nec proinde Angelus loqueretur producendo intellectiōnem aut volitionem suam: unde intellectus & voluntas Angeli quæ potentia locutivæ, pendent tantum à conditione sine qua non, à libera voluntatis ordinatione, qua Angelus ad alterum Angelum intellectiōnem vel volitionem suam dirigat.

Angelus igitur loquitur alteri Angelo, volendo aut intelligendo aliquid cum libera actus, quo vult aut intelligit, ordinatione ad alterum Angelum: hoc ipso enim dicit alteri Angelo id quod vult aut intelligit, & hac ordinatione præcisè supposita, alter Angelus statim excitatur ad audiendum, seu statim determinatur ad actum, quo vult aut intelligit, intuitivè cognoscendum, & in eo intuitivè cognito abstractivè cognoscendum id, quod vult aut intelligit, ut jam dictum est.

Hinc in Angelo audire, est actum, quo vult aut intelligit aliquid alter Angelus, liberè directum intuitivè cognoscere, & in eo intuitivè cognito abstractivè cognoscere objectum ab altero Angelo volitum aut intellectum. Hinc in Angelo auditio est intellectiō, qua Angelus actum alterius Angeli, ab eo ad se liberè directum, percipit; & auditus, seu potentia audiendi, est intellectus, quæ vim habet actum alterius Angeli, ab eo ad se liberè directum, percipiendi.

Quæres 1. utrum Angelus possit loqui alteri Angelo quantumlibet distanti?

R. Angelus non potest loqui alteri Angelo, nisi intra sphaeram visibilitatis ejus. Nam Angelus non potest loqui alteri Angelo, nisi ab eo possit audiri. Atqui Angelus non potest audire, nisi intra sphaeram visibilitatis suæ: carens enim audire potest alterum Angelum, quatenus potest intellectiōnem aut volitionem ab eo ad se directam intuitivè cognoscere: nihil autem potest intuitivè cognoscere, nisi intra sphaeram visibilitatis suæ. Ergo, &c.

Quæres 2. utrum Angelus possit simul loqui pluribus Angelis?

R. Angelus potest simul loqui pluribus Angelis, sibi presentibus. Nam potest Angelus simul ad plures Angelos sibi presentes intellectiōnem aut volitionem suam dirigere, atque ita plures Angeli possunt simul excitari ad audiendum, seu simul determinari ad intuitivam intellectiōnem aut volitionem ad se directam, & in intellectiōne aut volitione, quam intuetur, abstractivè cognoscendum id, quod vult aut intelligit Angelus, qui loquitur.

Quæres 3. utrum Angelus possit ex pluribus Angelis sibi presentibus, uni tantum loqui, ita ut ab uno tantum, & non ab aliis audiat?

R. Potest: nam potest ad unum tantum intellectiōnem aut volitionem suam dirigere, & ita potest unus tantum excitari ad audiendum, seu ad intuitivam Angeli loquentis intellectiōnem aut volitionem, quæ nihilominus naturaliter secreta est relatè ad reliquos, qui adsunt, quique proinde ad audiendum excitari, sive ad illam intuitivam determinari non possunt.

Quæres, utrum Angelus illuminet alterum Angelum?

R. af.

R. affirm. Nam Angelum illuminare alterum Angelum, est Angelum alteri Angelo dicere veritatem aliquam supernaturalem, & ad Deum ordinatam, sibi à Deo, sive in Verbo, sive extra Verbum revelatam. Atqui Angeli superiores inferioribus dicunt veritates huiusmodi, ut docet S. Thomas hic q. 106. a. 1. in O. Dicunt autem veritates huiusmodi, naturalem de illis formando conceptum, illumque dirigendo ad alios Angelos, quos instruere volunt: hi enim hoc ipso determinantur ad intuitivam cognitionem conceptus illius, & in eo intuitivè cognito abstractivè cognoscunt veritates, quas exprimit.

ARTICULUS V.

Utrum voluntas Angeli, electione facta, objecto quod elegit, adhaereat immobiliter.

RESPONSIO.

Voluntas Angeli, electione facta, objecto quod elegit, non adhaeret immobiliter ex naturæ suæ conditione.

Prob. ex Patribus, Nam S. Augustinus sic loquitur lib. 22. de Civ. c. 1. *Casum Angelorum voluntarium iustissima poena sempiterna infelicitatis (Deus) obstrinxit: atque in eo summo permanentibus ceteris, ut de sua sine fine permanens certum essent, tanquam premium ipsius permanentis dedit. Et lib. 3. contra Maxim. c. 12. Cuiusque creatura rationali praestatur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propria, sed Dei gratia: ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non cuiusquam gratia, sed naturæ suæ nec potuit, nec potest aliqua conversione mutari, nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare.*

S. Prosper lib. 1. de vita contemplativa cap. 3. sic ait: *Voluntatis eorum (bonorum) Angelorum fuit, quod malis sponte cadentibus, ipsi in sua dignitate manserunt: & divino iustoque iudicio actum est, ut quæ fuit cum Deo suo manendi voluntas, fieret permanenti voluntaria felicitateque necessitas.... atque merito sue stabilitatis in æternum felices effecti, de sua permanente securi sunt.*

S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. *Angelicos Spiritus quis non videat non unius naturæ esse cum Deo, sed factos ex nihilo, quorum naturalis mutabilitas in eo cognoscitur, quia eiusdem naturæ pars est in deterius permutata? Deinde quod ii qui depravati non sunt, licet illius dono, à quo cum non essent, facti sunt.... non ab eo naturali conditione deficiant... quia collato sibi æternæ incorruptionis atque incommutabilitatis munere, nihil in se sentiunt immutationis.*

Et c. 25. *Firmissime tene... omnem creaturam naturaliter mutabilem, à Deo incommutabili factam, nec tamen posse quemlibet sanctorum Angelorum in deterius mutari: quia sic acceperunt æternam beatitudinem, quæ Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint. Sed hoc ipsum, quod ab illa statu beatitudinis, in qua sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, divina largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus & eius angeli cecidissent.*

S. Gregorius lib. 5. Mor. c. 28. *Natura angelica est contemplatione auctori inhaerendo, in statu suo immutabiliter permanet, eo ipso tamen quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet.... Sola natura incomprehensibilis à statu suo nescit moveri, quæ ab eo quod semper idem est, nescit immutari. Nam si Angelorum substantia à mutabilitatis motu fuisset aliena, bene ab auctore condita, nequaquam in reprobis spiritibus à beatitudinis suæ arce cecidisset. Mirè autem omnipotens Deus naturam summorum Spirituum bonam, sed mutabilem condidit: ut & qui permanere nolent, ruerent, & qui in conditione persisterent, tanto in ea iam dignius, quanto ex arbitrio starent: & eo maioris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis suæ motum voluntatis statione* Simonnet T. beol. Tom. I.

fixissent. Quia ergo ipsa quoque natura angelica est in semetipsa mutabilis, quam videlicet mutabilitatem videt per hoc, quod ei, qui semper idem est, vinculis amoris alligatur, recte nunc dicitur, &c.

S. Isidorus Hisp. l. 1. Sent. c. 12. *Natura Angelorum mutabilis est... sed facit eos incorruptos charitas sempiterna. Gratia dicimus, non natura, esse incommutabiles Angelos: nam si natura incommutabiles essent, diabolus non unquam cecidisset.... Dum sunt mutabiles natura, non tamen finit eos contemplatio mutari divina.*

S. Damascenus lib. 2. orth. fid. c. 3. *Est igitur Angelus natura sua... arbitrii libertate præditus, voluntate & sententia mutabilis, hoc est, liberam in utramque partem voluntatem habens. Quidquid enim creatum est, mutationi quoque subest necesse est. Id enim unum extra mutationis aleam est, quod nihil habet, à quo sit creatum... Angelus itaque, ut rationis & intelligentie particeps, liberi arbitrii est: ut autem creatus, in ea conditione erat, ut mutationem recipere posset, liberumque ei esset vel in bono manere ac progressum facere, vel in malum inflecti.*

Cum autem addit Angelos malos, postquam lapsi sunt, poenitentia capaces non fuisse, nihil aliud vult, quam eos nullam planè peccati sui excusationem habuisse, adeoque Deum illis iure merito nullum reliquisse agendæ poenitentia locum, quem tamen concessit homini, qui postea ex infirmitate carnis lapsus est. Poenitentia porro, inquit, ea ratione minime capax est, quia corpore vacat. Nam quod homo è vitiorum ceno emergere, atque ad meliorem frugem se convertere queat, id ob corporis imbecillitatem consecutus est.

Itaque secundum Patres, immobilitas est proprietas naturæ increatæ; adeoque solus Deus ex conditione naturæ bono immobiliter adhæret. E contra omnis creatura rationalis, hoc ipso quod creatura est, mutationi essentialiter obnoxia est; adeoque nulla creatura rationalis ex conditione naturæ bono adhærere potest immobiliter; sed potest pro arbitrio modò bonum, malo rejecto, modò malum, repudiato bono, eligere.

Secundum Patres, quod Angeli sancti viatores in bono proposito steterint, non fuit naturæ propria, sed Dei gratia, illos scilicet illustrantis, quomodo eis aptum erat ut starent: non ex conditione naturæ, sed per liberum arbitrium, divinæ gratia auxilio adjutum, steterunt: stando meriti sunt, quia non ex necessitate, sed libere, & ex propria, quam mutare potuerunt, determinatione, aspirante divina gratia, steterunt. Secundum Patres igitur, potuerunt Angeli sancti viatores à bono proposito ad malum deflectere; adeoque & mali, postquam lapsi sunt, potuerunt, Deo illos adjuvante & expectante, à malo proposito ad bonum resurgere.

Secundum Patres, quod Angeli comprehensores sanctum adhaerendi Deo propositum nunquam mutaturi sint, non est conditio naturæ, inflexibiliter scilicet volentis, quod semel deliberatè voluit; sed merces meriti, propter quod Deus sese illis æternum daturus est intuitivè videndum & amandum: propositum illud nunquam mutaturi sunt, nunquam mutare poterunt, quia semper Deum intuitivè contemplaturi sunt, adeoque illum semper Deum necessitati super omnia amaturi.

Secundum Patres, Angeli etiam reprobi in prima sui creatione, vel saltem paulò post, habuerunt amorem Dei super omnia, & quidem ut authoris gratia & gloria, ac proinde efficax serviendi Deo propositum. Ergo non potuerunt peccare, nisi saltem natura prius desererent efficax propositum serviendi Deo: nam peccare in sensu composito talis propositi, evidenter implicat contradictionem. Atqui si natura angelica inflexibiliter vult id, quod semel deliberatè voluit, non potuerunt propositum illud deferre. Ergo si natura angelica, &c. non potuerunt peccare, adeoque non peccarunt: quod est contra fidem. Hinc

Sic adhuc arguuntur. Si voluntas Angeli vellet

X 3 immo-

Immobilitate id, quod semel deliberatè voluit, Angelus non esset mutabilis eo sensu, quo Patres dicunt omnem creaturam rationalem, adeoque angelicam, esse mutabilem. Consequens non debet admitti. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Si voluntas Angeli veller immobiliter id, quod semel deliberatè voluit, Angeli reprobi non peccassent, imò nec peccare potuissent, ut patet ex superiori argumento. Atqui si non peccassent, nec peccare potuissent, Angelus non esset mutabilis ex natura sua eo sensu, quo Patres dicunt omnem creaturam rationalem esse mutabilem: Patres enim Angelum esse mutabilem ex natura sua, probant ex peccato reproborum Angelorum. Ergo si voluntas Angeli veller, &c.

Patres igitur cum asserunt angelicam voluntatem esse naturaliter mutabilem, excludunt ab ea omnem naturalem inflexibilitatem, sive ante, sive post electionem factam, voluntque eam plenè & integrè liberam esse libertate arbitrii circa bonum & malum; ita ut possit pro arbitrio, positis ponendis, id, quod deliberatè elegit, perseveranter velle vel non velle; sicut potuit pro arbitrio, positis ponendis, illud primum velle vel non velle, illud eligere vel non eligere; atque ita, sicut potest pro arbitrio, positis ponendis, bonum præ malo, vel malum præ bono deliberatè velle, sic possit quoque pro arbitrio, positis ponendis, bonum præ malo, vel malum præ bono deliberatè volutum velle vel non velle perseveranter.

Obj. Voluntatis electio mutari non potest, nisi mutato iudicio intellectus: nam voluntas intellectum sequitur. Atqui intellectus angelicus immutabilis est in iudicando. Ergo voluntas angelica est etiam immutabilis in eligendo. *Prob. min.* Nam quid intellectus iudicat per simplicem apprehensionem seu intuitum, & absque discursu, illud immutabiliter iudicat: ut apparet in nobis, qui mutare non possumus iudicium nostrum circa prima principia, quia de illis iudicamus per simplicem intuitum, & sine discursu. Atqui intellectus angelicus iudicat omnia sine discursu, & simpliciter intuendo. Ergo, &c.

R. 1. neg. min. Potest enim Angelus mutare iudicium in duobus casibus. 1. Si mutetur objectum: nam si res, quæ antea utilis erat ad consequendum finem aliquem, fiat postea ad id inutilis, Angelus, qui antea iudicabat rem illam esse utilem, postea iudicabit inutilem esse. 2. Si iudicet non advertendo ad omnes circumstantias: nam postea re melius considerata, poterit iudicare non appetendam esse rem, quam antea iudicabat appetendam. Sic dæmon, qui mortem Christi procurandam esse iudicaverat, postea, re melius perpenſa, impediendam esse iudicavit.

R. 2. neg. maj. Iudicium enim indifferens, hoc est, proponens objectum partim ut eligibile, partim ut non eligibile, sicut non necessitat voluntatem angelicam ad eligendum objectum, ita nec, etiamsi idem permaneat, eam, postquam objectum elegit, ad perseverandum in hac electione necessitat: sed voluntas angelica semper manet libera ad rejiciendum objectum, sicut ad hoc libera fuit primo instanti, quo iudicium indifferens elicitum est. Et sicut voluntas angelica primo instanti, quo iudicium indifferens elicitum est, potuit pro arbitrio objectum eligere vel non eligere, quia tunc habuit quidquid ad alterutrum requirebatur ex parte intellectus & objecti; ita deinceps, perseverante illo iudicio, potest pro arbitrio, postquam objectum elegit, in hac electione perseverare vel non perseverare, quia, perseverante illo iudicio, habet quidquid ad alterutrum ex parte intellectus & objecti requiritur.

DISPUTATIO III.

De via Angelorum.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli creati fuerint cum gratia.

RESPONSIO I.

Angeli omnes, tam reprobi quàm prædestinati, gratiam sanctificantem acceperunt in primo instanti creationis suæ.

Ita docet S. Thomas hic q. 62. a. 3. in O. & cum eo alii Scholastici communiter contra Hugonem Viçt. tract. 2. Summæ Sententiarum c. 2. de Angelis sic loquentem: *Eos fuisse bonos in primo exordio creationis constare debet, id est, sine vitio. Non enim Creator optimus, author mali poterat esse. Sed nec iusti nec iniusti tunc fuerunt; nec aliquam virtutem tunc habuerunt.* Et Petrum Lombardum lib. 3. Sent. dist. 3. litt. F. ubi sic ait de Angelis: *Tales erant, qui stare poterant, id est, non cadere per bonam creationis, & cadere per liberum arbitrium. Poterant enim peccare, & non peccare: sed non poterant proficere ad meritum vite, nisi gratia superadderetur, quæ addita est quibusdam in confirmatione.* Sed contra illos

Prob. resp. nostra: 1. ex Script. Nam Ezechielis c. 28. de Lucifero sub nomine Regis Tyri dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore... omnis lapis pretiosus operimentum tuum... perfectus in viis tuis a die conditionis tue, donec inventa est iniquitas in te.* Quibus verbis Scriptura satis aperte significat Luciferum à primo instanti creationis non solum donis omnibus sibi connaturaliter debitis, sed etiam indebitis & supernaturalibus, iisque præstantissimis, qualis est gratia sanctificans, fuisse à Deo creatore exornatum. Unde rectè concluditur idem de aliis omnibus Angelis reprobis, & à fortiori de omnibus prædestinatis.

2. Autoritate SS. Patrum, pro quibus omnibus sit S. Augustinus lib. de corr. & grat. c. 10. ubi hæc habet: *Diabolus verò & angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate steterant, donec istam summam beatitudinis plenitudinem, tamquam premium ipsius permanſionis acciperent, id est, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent.*

Itaque juxta S. Doctorem, Angeli etiam reprobi, antequam caderent, beati fuerunt, non quidem ea beatitudine, qua perficiuntur Angeli comprehensores, & quam amittere non possunt propter abundantiam charitatis Dei, per Spiritum sanctum eis datam tamquam premium liberæ eorum in debito Dei obsequio permanſionis; sed qualis primus homo, antequam caderet, fructus est in paradiso voluptatis; quam beatitudinem veram, nondum tamen consummatam, constituebant donorum naturalium & supernaturalium complexio cum carentia omnis mali. Ergo juxta S. Doctorem, Angeli etiam reprobi, antequam caderent, adeoque à primo creationis instanti, præter carentiam omnis mali, & dona naturalis ordinis eis connaturaliter debita, habuerunt etiam supernaturalia, in quibus primum locum obtinet gratia sanctificans.

3. Ratione. Quia Angeli omnes, etiam reprobi, à primo creationis suæ instanti perfectè ordinati fuerunt ad supernaturalem beatitudinem per bona merita promerendam: quidni enim fuerunt? Ergo à primo creationis suæ instanti habuerunt infusus fidei, spei, & charitatis habitus, quibus creatura rationalis intrinsecè ordinatur ad beatitudinem supernaturalem, & ad actus meritorios illius exercendos habilitatur intrinsecè. Atqui gratia sanctificans vel consistit in complexione horum habituum, vel est præcipuus ex illis, nempe charitatis habitus; vel denique se habet per modum naturæ, cujus hi habitus sunt veluti potentie, & sine qua

qua de lege ordinaria omnes simul esse non possunt in eodem subjecto. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Angeli omnes tam reprobi quam prædestinati, habuerunt in primo instanti creationis suæ charitatem actualem, adeoque actualis gratiæ auxilium.

Prob. autoritate S. Augustini lib. 12. de Civ. c. 9. ubi sic loquitur: *Simul facti sunt (Angeli,) ei à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, adhaerunt. Eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi (boni) in eadem voluntate bona manserunt, illi (mali) ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate.... Si boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate (hoc est, actuali charitate) eamque in se ipsis, Deo non operante, fecerunt: ergo meliores à se ipsis quam ab illo facti sunt: Absit... Eos (bonos angelos) cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhaerent, creavit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam. Unde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est. Isti autem (mali angeli) qui cum boni (ut potè cum Dei amore casto) creati essent, tamen mali sunt mala propria voluntate (qua scilicet à bono (pote defecerunt,) ... aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perseverant: aut si utrique boni aequaliter creati sunt (hoc est, cum æquali amoris divini gratia) istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.*

Juxta S. Doctorem itaque, 1. Angeli omnes, etiam ii qui mali peccando effecti sunt, creati fuerunt cum bona voluntate. 2. Hæc bona voluntas fuit amor Dei castus, quo in Deum conversi sunt, eique liberè adhaerunt à primo creationis suæ instanti. Amor autem Dei castus, juxta S. Doctorem, est ille, quo Deus diligitur ut author bonorum supernaturalium. 3. Hanc bonam voluntatem in primo instanti creationis, non ex solis arbitrii viribus, sed dependenter à Deo in eis operante, habuerunt Angeli. 4. Deus in Angelis in primo instanti creationis eorum operatus est hanc bonam voluntatem, largiendo gratiam eodem instanti, quo condidit naturam, hoc est, eodem instanti, quo de nihilo condidit Angelos, non solum eis infundendo habitus, quibus intrinsecè habilitarentur ad exercendos actus divini ordinis, sed etiam per prævenientem gratiam congruam, eos excitando, quomodo ei aptum erat ut vellent ipsum amare, & amarent ut bonorum supernaturalium authorem. 5. Ex Angelis alii ab hac bona voluntate seu ab hoc amore Dei casto, quia voluerunt, defecerunt, & in rebellionem prolapsi sunt, atque in pœnam defectionis suæ addicti sunt æterno supplicio: alii verò in hac bona voluntate seu in hoc amore Dei casto liberè permanserunt, & per meritum permanentis suæ, ad consummatam & æternam duraturam beatitudinem pervenerunt. 6. Hi autem, aliis propria voluntate mala cadentibus, steterunt, Deo in eis operante ut starent: non enim per solas arbitrii vires steterunt, sed vel quia Deum in primo instanti dilexerunt intensius quam alii, quod non nisi operante Deo fecerunt, vel quia ad standum potentiori actualis gratiæ auxilio adjuti sunt, si æqualiter omnes tum quod appetitionem, tum quoad intentionem, Deum dilexerunt in primo instanti.

Igitur, juxta S. Augustinum, Angeli omnes in primo instanti creationis suæ habuerunt amorem Dei castum, quo conversi sunt in Deum, & ad quem naturæ vires sufficere non potuerunt, adeoque supernaturalem, cui proinde necessariò præluxit actus fidei divinæ, quæ cum ejusdem ordinis cum illo amore casto fuerit, fuit quoque supernaturalis, nec ex solis naturæ viribus elici potuit. Igitur Angeli in primo instanti creationis suæ habuerunt actualem gratiam excitantem, qua Deus in eis operatus est, quomodo eis congruebat, ut crederent, diligerent, imò & sperarent (neque enim in illis fuit amor Dei castus sine spei motu) sicut oportebat ad salutem. Unde ulterius sequitur eos in primo instanti creationis suæ habitus su-

Simonnet Theol. Tom. I.

pernaturales fidei, spei, & charitatis accepisse, vel natura prius, quam crederent, sperarent, & diligerent: & sic habitus illos sine prævia dispositione acceperunt, sed de condigno meriti sunt non solum gloriæ, sed etiam gratiæ augmentum, vel natura posterius, quam crederent, &c. & sic habitus illos receperunt ex prævia dispositione, sed solum gloriæ augmentum de condigno meriti sunt.

Quòd autem non hoc secundo modo, sed primo Angeli habitus infusos acceperint, putamus esse magis consentaneum doctrinæ S. Augustini. Sed utrovis modo acceperint, perinde sequitur eos in primo instanti creationis suæ gratia sanctificante exornatos fuisse, atque ita in primo instanti creationis suæ fuisse amicos Dei, filios ejus adoptivos, & regni cœlestis hæredes; quod jam superiori Responsione probatum est.

RESPONSIO III.

Angeli acceperunt gratiam independentem à meritis Christi.

Prob. Gratia fuit ab æterno præparata Angelis independentem à meritis Christi. Ergo & data illis fuit independentem à meritis Christi. Conseq. patet. *Prob. ant.* Merita Christi non fuerunt absolute futura pro eo rationis instanti, quo Angelis præparata fuit gratia. Ergo illis nec præparata fuit, nec præparari potuit propter merita Christi. Conseq. patet: non enim potuit Angelis præparari gratia propter merita Christi, nisi præpararetur ratione posterius, quam absolute prævideretur illa merita, adeoque nisi præpararetur ratione posterius, quam merita illa essent absolute futura.

Prob. ant. Merita Christi non fuerunt absolute futura, nisi post decretum Incarnationis. Incarnatio non fuit decreta, nisi post absolutam prævisionem peccati primi parentis, ut suo loco ostenditur ex Scripturis & Patribus. Peccatum primi parentis non fuit absolute prævisum, nisi post absolutam prævisionem peccati malorum Angelorum: nam hoc peccatum fuit aliquo modo causa alterius, & causa prius absolute prævisa fuit, quam effectus. Peccatum malorum Angelorum non fuit absolute prævisum, nisi post decretum illud permittendi. Deus non decrevit illud permittere, nisi postquam decrevit dare gratiam Angelis; vel ad summum, pro eodem signo rationis, & decrevit dare gratiam omnibus Angelis, & decrevit peccatum malorum Angelorum permittere. Ergo à primo ad ultimum, gratia præparata fuit Angelis ratione prius, quam merita Christi essent absolute futura. Ergo, &c.

Confirm. 1. Angeli accepturi fuerunt gratiam, licet primus homo peccaturus non fuisset: alioquin acceperunt gratiam dependentem à peccato Adami absolute futuro, quod est absurdum. Ergo accepturi fuerunt gratiam, licet Christus non fuisset venturus: nam si primus homo non fuisset peccaturus, Christus venturus non fuisset. Ergo accepturi fuerunt gratiam, licet nulla futura fuissent Christi merita. Ergo re ipsa acceperunt gratiam independentem à meritis Christi. 2. Homo in statu innocentie habuit gratiam independentem à meritis Christi, juxta illud S. Augustini, lib. de corr. & grat. c. 11. *Ille (Adamus) in illis bonis Christi morte non eguit.* Ergo à fortiori Angeli habuerunt, &c.

Obj. Christus est caput Ecclesiæ, juxta illud Apostoli ad Ephes. c. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Ergo Christus est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum: nam Angeli constituunt unam Ecclesiam cum hominibus, adeoque cum hominibus constituunt unum corpus mysticum, cujus caput mysticum est Christus. Ergo sicut homines, ita & Angeli à Christo gratiæ influxum accipiunt. Ergo, &c.

R. 1. Inter scholasticos Doctores non deesse, qui negent Christum esse Angelorum caput secundum humanitatem, & dicant Christum secundum humanitatem esse caput hominum, Angelorum verò secundum divinitatem tantum. Unde sequitur tantum Christum, ut Deum, seu Verbi personam,

nam, cum aliis duabus personis physicè producere gratiam in Angelis, quod verum est.

R. 2. libenter concedendo Angelos sanctos cum hominibus constituere unum corpus mysticum, cuius caput mysticum est Christus ut homo, adeoque Christum secundum humanitatem esse mysticum caput non solum hominum, sed etiam Angelorum. Sed addo Christum, ut hominem, non eodem modo esse caput hominum & Angelorum: est enim hominum caput non solum quoad excellentiam & gubernationem externam, sed etiam quoad internum gratiæ influxum: Angelorum verò tantum quoad excellentiam & externam gubernationem caput est. Ratio disparitatis est, quia Christus, ut homo, hominum, non Angelorum est salvator. Unde Christus, ut homo, meritis est gratiam hominibus, non Angelis: quare ut homo, in homines, non in Angelos, gratiam meritorie influit.

ARTICULUS II.

Utrum Angelis viatoribus revelatum fuerit Incarnationis mysterium.

DE mysterio Trinitatis questionem non proponimus; hoc enim mysterium Angelis viatoribus revelatum fuisse, extra controversiam est: dubitari enim non potest, eos per fidem cognovisse finem supernaturalem, ad quem erant ordinati & creati, & ad quem proinde actiones suas referre debebant. Hic autem finis in intuitiva Dei unius in substantia, & trini in personis, visione consistit. Tantum igitur de Incarnationis mysterio difficultas esse potest.

RESPONSIO.

Nullum videtur esse fundamentum sufficiens asserendi, quod Angelis viatoribus revelatum fuerit mysterium Incarnationis.

Prob. Nam revelatum fuisse, neque ex Scriptura, neque ex traditione, seu ex Patrum testimoniis, probabiliter colligi potest: imò videtur Scriptura pluribus locis repugnare: nam Ephes. c. 3. dicit Apostolus: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Et 1. ad Timoth. cap. 3. *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, predicatum est Gentibus, &c.*

Dixi autem, Videtur repugnare, quia primus locus intelligi potest de circumstantiis, vel fructibus & effectibus Incarnationis, cum etiam superiorum ordinum Angeli sancti ignoraverint ante Christi ad cælos ascensum, & quos postea successivè per Apostolorum prædicationem, & institutionem, ac propagationem Ecclesiæ didicerint. Secundus verò de Incarnatione, non faciendâ, sed factâ, quam scilicet ut factam non cognoverunt sancti Angeli, nisi postquam revera facta est.

Porro, quod obiter observamus, aliquos saltem ex beatis Angelis mysterium Incarnationis, antequàm impleteretur, cognovisse, sive illud à primo instanti beatitudinis, sive postea tantum cognoverint, constat ex Gabriele, qui illud annuntiavit B. Virgini, & aliis Angelis, qui illud antea Prophetis revelaverant.

Dixi, Saltem, quia non omnes beatos Angelos mysterium Incarnationis, etiam quoad substantiam consideratum, ante ejus adimpletionem cognovisse colligunt nonnulli ex his Psalmi 23. verbis: *Quis est iste Rex gloriæ? Et his Isaie c. 63. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Sed his textibus satis fit, si dicantur ex beatis Angelis aliqui, etiam tunc cum Christus in cælos ascendit, ignorasse aliquas hujus mysterii circumstantias, putâ quod Christus pro salute hominum moriturus fue-

rat, & postea resurrecturus. Hoc dicit S. Hieronymus, locum Isaie citatim interpretans. *Interrogant igitur Angeli, inquit, rei novitate perterriti. Mysterium enim passionis & resurrectionis Christi, secundum Apostolum Paulum, cunctis retrò generationibus fuerat ignotum.*

Demus igitur omnes Angelos beatos etiam à principio beatitudinis cognovisse mysterium Incarnationis saltem quantum ad substantiam, quod certum non est. At inde concludi non potest, quod etiam illud per fidem cognoverint, cum adhuc essent in via. Nunc omnia quidem, quæ per fidem cognoscuntur in via, clarè per visionem beatificam cognoscuntur in patria, juxta illud Apostoli 1. Cor. cap. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Sed non omnia quæ cognoscuntur in patria, prius cognita fuerunt in via. Multa enim beatis in cælo revelantur, quæ viatoribus nunquam fuerunt revelata.

Obj. Incarnatio revelata fuit Adamo in statu innocentie. Ergo fuit etiam revelata Angelis viatoribus. *Prob. ant.* Nam Adamus in statu innocentie cognovit suum cum Eva matrimonium figuram esse futuræ conjunctionis Christi cum Ecclesia. *Prob. conseq.* Quia par est ratio pro Angelis viatoribus, & homine innocente. R. Prætermisso antecedente, quod negant aliqui, & dicunt, non Adamo, sed D. Paulo revelatum fuisse, quod per Adami cum Eva matrimonium conjunctio Christi cum Ecclesia præfigurata fuerit, neg. conseq. Nam pro Adamo, non pro Angelis, fuit specialis ratio: nam Christus non propter Angelos, sed propter homines venturus erat, & per Adami cum Eva matrimonium præfigurabatur Christi cum Ecclesia conjunctio.

Obj. Christus prædestinatus erat, ut esset caput hominum & Angelorum. Atqui conveniens fuit ut Angeli viatores per fidem caput suum cognoscerent. Ergo, &c. R. Christum prædestinatum fuisse, ut esset caput hominum, non solum quoad excellentiam & gubernationem externam, sed etiam quoad influxum gratiæ: unde Incarnatio est medium ordinatum ad salutem hominum; adeoque debuit revelari hominibus viatoribus: debuerunt enim hominibus viatoribus revelari media illis ad salutem consequendam necessaria. At Christus prædestinatus fuit, ut esset caput Angelorum quoad excellentiam & externam gubernationem tantum: unde Incarnatio non fuit medium ordinatum ad salutem Angelorum, adeoque necessarium non fuit, ut revelaretur Angelis viatoribus.

Præterea Incarnatio non fuit decreta, & sic Christus non fuit prædestinatus, ut esset caput hominum & Angelorum, nisi post absolutam prævisionem lapsus Adami, & decretum reparandi genus humanum. Ergo, quod Incarnatio esset decreta, & Christus prædestinatus caput hominum & Angelorum, convenienter Deus non revelavit Angelis, nisi post lapsum Adami; quo tempore jam erant Angeli in termino. Quod si Deus Adamo revelavit ante lapsum ejus, specialem ad hoc habuit rationem, qualem non habuit pro Angelis viatoribus, ut jam dictum est.

Obj. S. Augustinus lib. 5. de Genesi ad litt. c. 19. & cum eo S. Thomas hic q. 64. a. 1. ad 4. docent mysterium Incarnationis innotuisse Angelis à principio. Nam sic loquitur S. Augustinus: *Nuncii gratæ Angeli dicuntur, quo nomine generali universa illa superna Civitas nuncupatur, quem primum diem conditum existimamus. Nam nec illud eos latuit mysterium regni cælorum, quod opportuno tempore revelatum est pro salute nostra Sic ergo fuit hoc (mysterium) absconditum à seculis in Deo, ut tamen innotesceret principibus & potestatibus Illis ergo à seculis innotuit, quia omnis creatura non ante secula, sed à seculis: ab ipsa enim exorta sunt secula, & ipsa à seculis, quoniam initium ejus initium seculorum est.*

Et S. Thomas: *Mysterium regni Dei, quod est impletum per Christum, omnes quidem Angeli à principio aliquo modo cognoverunt, maxime ex quo beatificati*

fecati sunt visione Verbi, quam demones nunquam habuerunt. Non tamen omnes Angeli cognoverunt perfectè, neque equaliter. Unde demones multo minus, Christo existente in mundo, perfectè mysterium Incarnationis cognoverunt.

Resp. Utrumque loqui tantum de sanctis Angelis, adeoque utrique satisfieri, si dicantur sancti Angeli à principio beatitudinis, quod brevi mora subsecutum est principium creationis, mysterium Incarnationis cognovisse in Verbo; quamvis, ut ait S. Thomas, non omnes æqualiter cognoverint; sed alii perfectius, alii minus perfectè, prout Deus eis revelavit.

ARTICULUS III.

Utrum via Angelorum aliquandiu, & quandiu duraverit.

RESPENSIO I.

VIA Angelorum aliquandiu duravit.

Prob. 1. Ex Script. Nam Ezechielis c. 28. Luciferus dicitur: *Perfectus in viis tuis à die conditionis tue, donec inventa est iniquitas in te.* Ex quibus verbis aperte colligitur Luciferum, ac proinde omnes alios Angelos reprobos (non enim ante Luciferum peccaverunt) in statu gratiæ, in quo conditi fuerant, aliquandiu perseverasse. Atqui Lucifer & alii Angeli reprobi tandiu fuerunt in statu viæ, quandiu fuerunt in statu gratiæ: tunc enim tantum desierunt esse in viâ, cum coeperunt esse in termino damnationis; & coeperunt esse in termino damnationis, cum peccaverunt, & peccando exciderunt à statu gratiæ. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Patribus. Secundum Patres, Angeli sancti gloriam consecuti sunt ob meritum perseverantiæ, sive quia in statu gratiæ, in quo conditi fuerant, liberè permanserunt. Ergo secundum Patres, Angeli sancti gloriam consecuti non sunt, nisi postquam in statu gratiæ, in quo conditi fuerant, liberè permanserunt: nam mercedis collatio supponit meritum in re. Ergo secundum Patres, Angeli sancti aliquandiu fuerunt, antequam gloriam consequerentur: nam permanere, dicit essentialiter aliquam durationem. Ergo secundum Patres, Angeli sancti aliquandiu fuerunt in viâ: non enim desierant esse in viâ, nisi cum gloriæ terminum affecti sunt.

Prob. ant. Ex S. Augustino lib. 22. de Civit. c. 1. In eo summo permanentibus ceteris (bonis Angelis) ut de sua sine fine permansione certi essent, tanquam præmium ipsius permansionis dedit. Lib. 12. ejusdem operis cap. 9. *Eo sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi (boni) in eadem voluntate bona manserunt, illi (mali) ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate.* Et inferius: *Istis (malis) mala voluntate cadentibus, illi (boni) amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent (liberè scilicet permanendo) pervenerunt.* Lib. de bono persever. cap. 7. *Diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt (boni Angeli), & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt.* Et lib. de corr. & grat. cap. 11. *Angeli sancti.... cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi; & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros.*

Ex S. Prospero lib. 1. de vita contemplat. cap. 3. *Merito sua stabilitatis (boni Angeli) in æternum felices effecti, de sua permansione securi sunt.*

Et ex Gregorio Magno lib. 5. Moral. c. 28. *Misericors omnipotens Deus naturam summorum Spirituum bonam, sed mutabilem condidit: ut & qui permanere nollet, ruerent; & qui in conditione persisterent... eo majoris apud Deum meriti fierent, quo mutabilitatis sue motum statione fixissent.*

Prob. 3. Ratione. Vel Angeli sancti in primo instanti creationis suæ glorificati fuerunt, vel tantum postea. Non primum; alioquin aut nunquam fuerunt in viâ, aut simul in viâ & termino fuerunt. Utrumque autem falsum est & absurdum. Ergo secundum. Ergo aliqua mora intercessit inter eorum creationem & glorificationem. Ergo aliquandiu duravit eorum viâ: tandiu enim duravit eorum viâ, quandiu non fuerunt in glorificationis termino.

Similiter vel Angeli mali peccaverunt in primo instanti creationis, vel postea tantum peccaverunt. Non primum: Angeli enim mali creati fuerunt cum amore casto, quo proinde in primo instanti creationis suæ conversi sunt in Deum, eique adhaeruerunt. Eos autem peccasse mortaliter in sensu composito hujus amoris, manifestè repugnat. Ergo secundum. Ergo inter eorum creationem & eorum peccatum, adeoque & eorum damnationem, aliqua intercessit mora. Ergo aliquandiu fuerunt in statu viæ: tandiu enim fuerunt, quandiu non fuerunt in termino damnationis.

RESPENSIO II.

Via Angelorum non diu duravit.

Prob. Angeli omnes cum mundo corporeo creati fuerunt, & jam erant in termino, quando Adamus lapsus est; nam mali Angeli jam peccaverant, & ob peccatum erant damnati, adeoque jam boni Angeli ob perseverantiam gloriam consecuti erant: Deum enim eodem instanti & Angelos deficientes damnavit, & permanentes glorificavit, quis neget? Atqui Adamus non longo post mundi corporei creationem tempore lapsus est. Ergo non diu duravit via Angelorum. Quandiu autem præcisè duraverit, quis certò definit?

ARTICULUS IV.

Quis ex reprobis Angelis primus peccaverit.

Nota 1. Multos ex Angelis, à Deo cum amore casto creatis, postea peccasse constat, 1. ex Scriptura. Nam Job cap. 4. dicitur: *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem.* Et 2. B. Petri cap. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit.* 2. Ex traditione, cujus certissimum monumentum est unanimis Patrum omnium consensus.

Nota 2. Unum, qui Diabolus, Satan, & Lucifer nominatur, inter Angelos, qui peccaverunt, primum peccasse, & deinde ceteros ad peccandum induxisse, communis est Patrum & Scholasticorum sententia, & colligitur ex Apocalyp. cap. 12. ubi dicitur: *Michael & Angeli ejus preliabantur cum dracone; & draco pugnabat, & angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in caelo.* Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit universum Orbem: & projectus est in terram, & angeli ejus cum illo missi sunt.

Hic Angeli, qui peccaverunt, vocantur Angeli Satanæ, quia illo suadente peccaverunt, & Satanas illos ad defectionem suam pertrahendo fecit suos, illosque Deus, & quidem justè, ipsi voluit esse subiectos in pœnam consensus mali: *A quo enim quis superatus est, hujus & jure merito servus est.* Hinc de Satana dicitur lib. Job cap. 41. *Ipse est rex super universos filios superbia.* Et Matth. cap. 12. vocatur Princeps demonum, seu malorum angelorum: *Hic (Christus) non ejicit demones nisi in Beelzebub principe demoniorum.* Hinc homines, qui peccant, vocantur filii diaboli, quia cum primus omnium peccaverit, & exemplum peccandi dederit, est veluti primus peccantium parens. Sic 1. Joan. cap. 3. dicitur: *Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat.* Et Joan. cap. 8. Christus ait Phariseis: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio.*

initio, & in veritate non stetit. His præsuppositis, quaeritur utrum Angelus ille, qui primus peccavit, & alios ad peccandum induxit, fuerit omnium Angelorum supremus? Pro quo sit

RESPONSIQ.

Qui primus inter reprobos Angelos peccavit, & alios ad peccandum induxit, fuit in perfectione naturali supremus inter omnes Angelos.

Prob. Ex Scriptura. Nam 1. de diabolo dicitur, Job cap. 40. *Ipse est principium viarum Dei*. Dicitur autem diabolus principium viarum Dei, vel quia solus creatus est ante omnes alias creaturas, vel quia omnium creaturarum quoad naturalem perfectionem præstantissima est. Non primum: quia Deus omnes Angelos eodem instanti cum mundo corporeo de nihilo condidit. Ergo secundum. Sic verba laudata interpretatur S. Gregorius lib. 32. Mor. c. 18. *Principium, inquit, viarum Dei Behemoth dicitur; quia nimirum cum cuncta creans (Deus) ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.*

2. Isaia cap. 14. de eodem diabolo dicitur, sub nomine Regis Babyloniorum: *Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Quibus verbis Propheta significat Luciferum Angelum tantum ceteris Angelis excelluisse, quantum Lucifer stella stellis ceteris excelsit. Hunc locum sic intellexit S. Bernardus serm. 1. de adventu Domini, cum ait: *Initium omnis peccati superbia; quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem, æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modo angelum, sed angelorum principem in diabolum commutavit.*

3. Ezechiel cap. 28. sic alloquitur eundem diabolum sub nomine Regis Tyri: *Tu signaculum similitudinis (Dei), plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis Paradisi Dei fuisti: omnis lapis preciosus operimentum tuum: sardius, topazius, & jaspis, chrysolitus, & onyx, & berillus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus. Tu cherub extensus & protegens. in medio lapidum ignitorum ambulasti.*

Quem locum sic interpretatur S. Gregorius c. proximè laudato: *Quid boni non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit? Ipsum signaculum Dei similitudinis (Propheta) dicit: ut quò subtilior est in natura, eò in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. Novem dicit (Propheta) genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines Angelorum. quibus Behemoth iste apertus fuisse describitur: quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. Cherub plenitudo sapientia interpretatur, & idcirco iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur. Et quia comparatione claritatis suæ ceterorum claritatem obumbrasse creditur, ipse extensus & protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majore transcendit.*

4. Idem Ezechiel c. 31. naturalem diaboli sub nomine Assyriorum Regis excellentiam allegoricè describit his verbis: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adequaverunt summitatem ejus, & platani non fuerunt eque frondibus illius: omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini ejus.*

Quæ verba sic exponit S. Gregorius loco laudato: *Hujus primatus (diaboli) eminentiam conspicit Propheta, cum dicit: Cedri non fuerunt. qui namque accipi in cedris, abietibus & platani possunt, nisi illa virtutis celestium proceræ celsitudinis agmina. quæ quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.*

Prob. 2. Ex Patrum testimonio, Tertulliani scilicet

lib. 2. contra Marcionem cap. 10. ubi hoc Ezechielist *Tu signaculum, &c.* de diabolo ait esse dictum, ut eminentissimo Angelorum, ut Archangelo, ut sapientissimo omnium. Gregorii Nazianz. in carn. *Princeps Lucifer in sublime elatus. amisit splendorem.* Cyrilli Hier. catech. 2. *Archangelus* (hoc est, Angelorum omnium princeps) cum esset bonus, diabolus postea dictus est. Paschasii Diaconi lib. 2. de Spiritu sancto cap. 3. *Hic ergo* (diabolus) nullum in creaturis superiorem se, ut reor, habuit; nullum medium inter se & Deum vidit, in cuius emulatione superbia stimulo concitatus assurgeret, & ideo nullum ante se stare in ordine militia celestis aspiciens, ipsi rerum Domino se æquare præsumpsit.

S. Gregorium & S. Bernardum jam citavimus, quibus consentit Hugo Vict. Summ. Sent. tract. 2. c. 4. Non desunt tamen etiam ex Patribus antiquis, qui negent Luciferum fuisse supremum omnium Angelorum. Magister Sent. lib. 2. dist. 6. scribit Luciferum omnibus aliis cadentibus excellentiorem, nec interstantes aliquem eo digniorem fuisse. Denique sanctus Thomas in 2. distinct. 6. quaest. 1. art. 1. in O. & hic quaest. 63. art. 7. in O. sententiam nostram ut probabiliorem defendit.

ARTICULUS V.

Quodnam fuerit primum Luciferi peccatum.

RESPONSIQ. I.

Primum Luciferi peccatum fuit peccatum superbiae.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Isaia cap. 14. sic diabolum sub nomine Regis Babylonis alloquitur: *Detratta est ad inferos superbia tua. Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In Cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Et Ezechiel cap. 28. sub nomine Regis Tyri: *Elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projecisti.**

Prob. 2. Ex unanimi omnium fere Patrum consensu, post tertium sæculum. Paucos pro omnibus hic allegamus, Athanasium scilicet in orat. de virginitate, ubi sic ait: *Ingen remedium est ad salutem animi humilitas; ciam Satanæ non ob scortationem, aut adulterium, aut furtum dejectus sit e Cælo, sed superbia illum inde precipitavit infra ipsum abyssum, cuius hæc verba fuerunt: Ascendam, & ponam solium e regione Dei, & ero equalis Altissimo.*

Gregorium Nazianzenum orat. in Christi nativitate, ubi dicit: *Luciferum propter superbiam caliginem effectum esse.* Idem reperit orat. 2. in Pascha. Nazianzeno adjungo Chrysostomum homil. 1. in 2. Epistol. ad Thetis. *Nullum est, inquit, malum quod conferri possit cum superbia: hominem efficit demonem, hoc est, similem demoni, qui demon & caligo effectus est per superbiam.*

Cyrillum Alexandr. lib. 5. in Joan. cap. 4. ubi hæc habet: *Quid. diabolum ex celestibus aulis expulit? an quod honorem expetierit, creata quidem nature convenientem, sed conditione sua potiorem ac majorem? An vero quod ausus sit dicere: Ero similis Altissimo? Imaginatus enim est rem creatam ad Creatoris naturam ascendere posse, & cum universi rectore Deo in eodem throno conjesuram.*

Augustinum lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 13. ubi ait, factum esse ut rationalis creatura spiritus sua potestate propter excellentiam delectatus, tumesceret superbia, per quam caderet a beatitudine spiritualis paradisi, & invidentia contabesceret. Et cap. 16. Quando, inquit, defecerit superbia diabolum, ut naturam suam bonam prava voluntate perverteret, Scriptura non dicit: ante tamen factum fuisse (quam hominem ad peccandum induceret,) & ex hac enim homini invidisse, ratio manifesta declarat. Et lib. 22. contra Fau-

stum

stum cap. 87. ubi etiam ait de diabolo : *A luce sua superna, quam à Deo habebat, superbia merito abscissus est.*

Fulgentium lib. 1. ad Monimum cap. 17. ubi hæc scribit : *Tunc initium sumpsit (superbia) cum Angelus adversus Deum elatus, & ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam... volens usurpare, quod illi datum à Deo non fuit, à Deo discessit, & cecidit.*

Magnum denique Gregorium lib. 34. Moral. c. 17. ubi de Lucifero ita loquitur : *Eo ipso similitudinem (Dei) perdidit, quo esse ei superbe similis in celsitudine concupivit. Qui enim charitatem ejus imitari debuit, subditus ambuit ejus celsitudinem, & hoc quod imitari poterat, amisit elatus.... dum privatam celsitudinem superbe appetiit, jure perdidit participatam.*

Consentiunt Hugo Viç. Summ. Sententiar. tract. 2. cap. 4. Magister Sent. lib. 2. distinct. 6. litt. A. & S. Thomas hic quest. 63. artic. 3. in O. Dicendum, inquit, quod Angelus absque omni dubio peccavit, appetendo esse ut Deus.

RESPONSIO II.

Lucifer ex consideratione naturalis perfectionis ac pulchritudinis suæ elatus appetivit supremam quandam & creaturæ indebitam celsitudinem.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ hoc aperte videtur significare; cum apud Ezechielem cap. 28. Lucifero dicitur : *Elevatum est cor tuum in decore tuo; & ipse apud Isaiam cap. 14. dicit : In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solum meum.... Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.*

Prob. 2. Ratione. Quia, ut probatum est, Lucifer peccavit peccato superbiæ. Ergo peccavit, ex inordinato sui amore, & propriæ excellentiæ affectu appetendo indebitam aliquam celsitudinem : nam ut ait S. Augustinus lib. 14. de Civ. cap. 13. *Quid est superbia, nisi perversa celsitudinis appetitus? Perversa celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inherere principio, sibi quodammodo fieri acque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet. Sibi vero ita placet, cum ab illo bono incommutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi.*

Lucifer igitur peccavit peccato superbiæ, quia sibi nimis placuit; & sibi nimis placendo, ex perfectionis scilicet & pulchritudinis consideratione, se ipsum inordinatè amavit; & inordinatè se amando, propriam excellentiam inordinatè appetivit. Atqui non appetivit inordinatè propriam excellentiam, nisi quia appetivit indebitam celsitudinem. Ergo peccavit, quia ex inordinato sui amore, & propriæ excellentiæ affectu, indebitam celsitudinem appetivit, & quidem aliquo modo supremam, & omni creaturæ indebitam : ealem enim celsitudinem manifestè significant hæc verba : *In Cælum conscendam, &c.*

Hanc doctrinam tradunt Patres, ut Cyrillus Alexandrinus lib. 2. commentariis in Isaiam, cum ait : *Diabolus veluti inter astra Lucifer cecidit, & comminutus est, tumida & turgida cogitans, & honorem ac gloriam soli summa natura congruentem rapere cupiens, quantum molimine & vi & animo poterat. Ut Paschasius Diaconus verbis supra citatis art. IV. Ut Gregorius Magnus verbis jam laudatis hoc art. & modo laudandis. Ut Bernardus serm. 1. de Adventu Domini : Lucifer, inquit, ille qui manè oriebatur, pro eo quod Altissimi similitudinem usurpare tentavit, & rapinam arbitratu est esse se æqualem Deo.... precipitatus illico corruit. Et Hugo Viçtor. cum Magistro Sent. locis citatis supra.*

Cum autem dicunt diabolum affectasse æqualitatem cum Deo, commodè intelliguntur de specialissima quadam cum Deo similitudine : perfectam enim cum Deo æqualitatem, quam evidenter norat Lucifer sibi impossibilem esse, seriò affectare non potuit. Et si Doctores citati, saltem plerique, necessariò intelligendi essent de perfecta æqualitate, adhuc pro nobis posset allegari : nam eatenus dici potest diabolus peccasse affectando perfectam cum Deo æqualitatem,

quatenus ex vehementi desiderio assequendæ, si fieri posset, perfectæ cum Deo æqualitatis, absolute & efficaciter, quantum erat ex se, aspiravit ad supremam illam & omni creaturæ indebitam celsitudinem, qua similis fieret Deo, sic ut tanquam Deus haberi posset.

RESPONSIO III.

Lucifer ex consideratione naturalis perfectionis & pulchritudinis suæ elatus, appetivit summam & absolutam in res omnes creatas dominationem, hoc sensu quodd voluerit rebus omnibus creatis despotice præesse absque omni subjectione ad Deum, quoad imperium & ministeria actualia.

Prob. Nam Lucifer, ut probatum est, appetivit supremam quandam & omni creaturæ indebitam celsitudinem. Atqui hæc celsitudo aliud esse non potest, quam dominatio in res omnes creatas summa & absoluta in sensu explicato. Ergo, &c.

Confirm. Quia hanc dominationem assequendo, Lucifer in Cælum conscendisset, super astra Dei exaltasset solum suum, ascendisset super altitudinem nubium, & Altissimo, cujus est supremum & ab omni omnino subjectione solum in res omnes creatas dominium habere, simillimus evasisset, ut perfecte clarum est. Atqui hæc omnia appetivit Lucifer, ut constat ex Scripturis. Ergo, &c. Amplius : Lucifer hanc dominationem assecutus, haberi potuisset tanquam, inferioris licet ordinis, Deus. Atqui, ut dicit S. Thomas hic qu. 63. art. 3. Lucifer absque omni dubio peccavit appetendo esse ut Deus. Ergo, &c.

Confirm. adhuc. Certe cum Lucifer gravissimè peccaverit, peccavit appetendo absolute & efficaciter, quantum erat ex se, excellentiam aliquam creaturæ indebitam. Ergo peccavit, vel quia, ut dicit S. Thomas loco citato, appetiit (absolute & efficaciter) ut finem ultimum beatitudinis, id ad quod virtute sue nature poterat pervenire, avertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei : aut si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudinem quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ nature, non ex divino auxilio, secundum Dei dispositionem : vel quia appetiit absolute & efficaciter perfectam cum Deo æqualitatem : vel quia appetivit absolute & efficaciter unionem hypostaticam, eamque invidit Christi humanitati, cui noluerit se submittere : vel denique quia absolute & efficaciter appetivit præfatam dominationem.

Non primum : Nam hæc S. Doctoris sententia neque in Scriptura, neque in Patribus reperitur habere sufficiens fundamentum : imò Patribus non satis congruere videtur.

Non secundum : Nam ut dicit S. Thomas loco citato, Lucifer non potuit absolute & efficaciter appetere esse ut Deus per equiparantiam, quia scivit hoc esse impossibile naturali cognitione : nec primum altum peccandi in ipso præcessit vel habitus, vel passio ligans cognoscitivam ipsius virtutem, ut in particulari deficient eligeret impossibile, sicut in nobis interdum accidit. Et dato quod esset possibile, hoc esset contra naturale desiderium : est enim unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res, quæ est in inferiori gradu nature, potest appetere superioris nature gradum... Manifestum est autem, quod Deus excedit Angelum... secundum gradum nature; & etiam unus Angelus alium. Unde impossibile est, quod unus Angelus inferior appetat esse æqualis superiori, nedum quod appetat esse æqualis Deo, nisi sub hac chimerica conditione, si hoc fieri posset sine propriæ nature destructione; adeoque impossibile fuit, quod Lucifer absolute & efficaciter appeteret esse Deo æqualis.

Non tertium : quia hæc sententia supponit aliqua, quæ dubia, vel falsa sunt, nempe quod Incarnatio decreta fuerit ante absolutam prævisionem lapsum Adami, & quod Angelis viatoribus revelata fuerit. Præterea, est planè nova, utpotè inventa à recentioribus

ribus Scholasticis, & veteribus Scholæ Doctoribus, sicut & Patribus ignota. Neque hanc sententiam juvant verba Apostoli, Hebr. cap. 1. dicentis: *Et cum iterum introducit primogenitum in Orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Nam supposito quod hæc verba significant duplicem Verbi in mundum introductionem, dicimus primam factam esse in instanti Incarnationis Verbi, secundam in instanti temporalis nativitatis Verbi incarnati.

Superest igitur ut quartum dicatur, nempe quod Lucifer appetiverit summam & absolutam dominationem, &c. Hanc sententiam disertis verbis tradit Gregorius Magnus lib. 34. Moral. cap. 17. *Ei, inquit, a quo conditus fuerat, subesse despexit. Ita enim Deus super omnia est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan vero iste ejus celsitudinis culmen aspiciens, ius perversæ libertatis appetiit, ut & præficeret cæteris, & nulli subesset, dicens: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Cuius eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbè similis in celsitudine concupivit. Nec multum ab hoc abludit id quod de Lucifero ait S. Thomas loco citato: Appetiit, inquit, aliquem principatum super alia habere; in quo etiam perversè voluit Deo assimilari.*

Obj. Primum peccatum diaboli fuit peccatum invidiæ. R. neg. Prob. Authoritate S. Cypriani ita loquentis lib. de zelo & livore: *Diabolus inter initia statim mundi & peritit prius & perdidit. Ille dudum angelica maiestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevoli livore prorupit, non prius alterum deficiens instinctu zeli, quam ipse zelo ante dejectus.*

R. opponendo S. Cypriano alios Patres, supra magno numero allegatos, & imprimis S. Augustinum, qui etiam disertis verbis S. Cypriani sententiam refellit lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 14. *Nonnulli, inquit, dicunt ipsum ei (diabolo) fuisse casum a supernis sedibus, quod inviderit homini factum ad imaginem Dei. Porro hæc invidia sequitur superbiam, non precedit. Non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidentia vero sit odium felicitatis aliene, quid inde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coquantur; vel inferioribus, ne sibi coquantur; vel superioribus, quod eis non coquantur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est. Tum sic prosequitur c. 15. Merito initium omnis peccati superbiam Scriptura definivit, dicens: Initium omnis peccati superbia.*

Innocenti igitur homini eam, qua in paradiso voluptatis fruebatur, felicitatem invidit quidem diabolus, & invidendo peccavit. At jam antea peccaverat, & peccando, ex illa beatitudine, in qua ipse conditus fuerat, ceciderat; qua beatitudine si non excidisset, nullam habuisset causam invidendi homini, quod ad imaginem Dei conditus fuisset; cum ipse quoque ad imaginem Dei, & quidem modo longè excellentiori conditus fuerit. Unde Ezech. cap. 28. dicitur signaculum similitudinis Dei: *Licet homo, inquit Gregorius Magnus, lib. 32. Moral. cap. 18. ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi majus aliquid tribuens (Propheta) non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit: ut qua subtilior est in natura, eò in illo similitudo Dei plenius credatur expressa.*

Itaque cum Lucifer esset creaturarum omnium à Deo conditarum excellentissima, donis tum naturalibus tum supernaturalibus à Deo liberalissimè præcæteris omnibus creaturis exornata, quandiu in illo beato statu, in quo fuerat conditus, stetit, non fuit quod invidere posset homini. Sed postquam ex perfectionis & pulchritudinis suæ contemplatione elatus, summam & absolutam in res omnes potestatem Deo invidit, & propter hanc invidentiam miserimus effectus est, habuit quod invideret homini innocenti. Innocenti igitur hominis felicitatem conspicatus miser ipse, in zelum malevoli li-

vore prorupit, & instinctu zeli, quo se ipse antè dejecerat, hominem deiecit.

ARTICULUS VI.

Quodnam fuerit primum peccatum aliorum Angelorum, qui cum Lucifero damnati sunt.

EX Scriptoris Ecclesiasticis non pauci tribus prioribus Ecclesiæ sæculis sensere Angelos peccasse fornicando cum mulieribus, quarum specie capti fuerant. Ita autem sensere propter hæc verba Geneseos cap. 6. *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchre, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.*

In hac sententia fuit in prima Apologia Justinus Martyr: *Angeli, inquit, cum mulierum, concubitus causa, amoribus sunt vincti, tum filios procreaverunt eos, qui demones sunt dicti.*

Item Athenagoras Philosophus Christianus, in legatione pro Christianis: *A statu suo, inquit, defeecerunt (Angeli mali) alii quidem amoribus capti virginum, & libidine carnis accensi; ipse vero princeps (Lucifer) tum negligentia, tum improbitate circa procuraciones sibi concessitas. Ex amatoribus igitur virginum Gigantes, ut vocant, nati sunt.*

Item Tertullianus lib. de Idololatria cap. 9. *Unum propono, inquit, Angelos esse illos desortores Dei, amatores feminarum, proditores etiam hujus curiositatis (hoc est, homines Astrologiam docuisse) propterea quoque damnatos à Deo.*

Item Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagog. c. 2. *Harum, inquit, rerum tibi sunt indicia Angeli, qui Dei reliquerunt pulchritudinem, propter pulchritudinem, quæ flaccescit, atque adeo è cælis in terram ceciderunt.*

Item Lactantius lib. 2. Institut. divin. cap. 14. *Illos (Angelos) cum hominibus commorantes dominator ille terre fallacissimus (diabolus) consuetudine ipsa paulatim ad vitia pellexit, & mulierum congressibus inquinavit. Tum in Cælum ob peccata, quibus se immiserant, non recepti, ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex Angelis Dei suos fecit satellites, ac ministros.*

Hos sequitur Eusebius Cæsar. lib. 5. de preparatione Evangelica, cap. 4. ubi asserit ex textu Geneseos laudato, Gigantes ex Angelorum cum mulieribus concubitu procreatos fuisse; & sanctus Ambrosius lib. 1. de virginibus, ubi sic ait: *Cassitas Angelos fecit. Qui eam servavit, Angelus est; qui perdidit, diabolus.* Hanc tamen sententiam inter hæreses numerat Philastrius Brixienfis cap. 59. *Alia, inquit, est hæresis, quæ de Gigantibus asserit, quod Angeli miscuerint se cum feminis ante diluvium, & inde esse natos Gigantes suspicantur. Nos saltem ut falsam & obsoletam repudiamus. Sit itaque*

RESPONSIO I.

Primum peccatum Angelorum, qui cum Lucifero apostatarunt, fuit peccatum superbiæ.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Job c. 41. dicitur de Lucifero: *Ipse est Rex super universos filios superbiæ, hoc est, super omnes angelos malos, qui cum eo contra Deum rebellaverunt. Non autem vocantur filii superbiæ, nisi quia per elationem à Deo defeecerunt, ut ad Luciferi castra transirent.*

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit Theodoret. in epitome divinorum decretorum cap. 8. quod est de diabolo & demonibus, ubi sic loquitur: *Diabolus & demonum caterva, qui erant cum aliis incorporeis (sanctis scilicet angelis) illorum in Deum benevolentiam non sunt imitati; superbiæ autem & arrogantia morbo correpti, ad id quod est deterius conversi sunt, & à priori sorte exciderunt. Et sanctus Augustinus lib. 22. de Civitate cap. 1. ubi hæc habet: Cum præscire (Deus) Angelos quosdam per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni deservitores*

sertores futuros, non eis ademant hanc potestatem, potentius & melius esse iudicans etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere.

Prob. 3. Ratione. Nam Angeli apostatae peccaverunt, vel quia Luciferi exemplum secuti, experierunt singuli summam & absolutam in res omnes dominationem in sensu superius explicato; vel quia saltem experierunt singuli anarchiam, nulli, ne quidem Deo, quoad imperium & ministeria actualia, subesse volendo; vel quia naturali sua perfectione, ac pulchritudine capti & contenti, respuerunt felicitatis statum, ad quem sine indebito gratiae auxilio, & nisi per opera naturae vires superantia pervenire non possent; vel quia inviderunt humanitati Christi unionem hypostaticam, eique se submittere recularunt; vel denique quia ex affectu consequendi excellentiam aliquam sub dominatione Luciferi, illum ut summum & absolutum principem habere praeparant. Atqui quovis ex istis modis peccaverint, eos ex superbia peccasse manifestum est. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Angeli apostatae ad peccandum inducuntur sunt suggestione & sollicitatione Luciferi.

Ita sentiunt expressè Hugo Vict. & Magister Sententiarum, quorum hic lib. 2. dist. 6. litt. B. ille verò tract. 2. Summae Sententiarum cap. 4. dicit Angelos, qui cum Lucifero ceciderunt, cum illo cecidisse, quia ei in malitia consenserunt. Ita etiam sentit S. Thomas hic quaest. 63. art. 8. in O. ubi sic assertionem nostram probat: *Dicendum quod peccatum primi Angeli fuit aliis causa peccandi; non quidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens. Cujus signum ex hoc apparet, quod omnes demones illi supremo subduntur, ut manifestè apparet per illud quod dicit Dominus, Matth. 25. Ite maledicti in ignem aeternum, qui parati estis diabolo & angelis ejus. Habet enim hoc ordo divinae iustitiae, ut cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, ejus potestati subdatur in poena.*

RESPONSIO III.

Angeli apostatae peccaverunt, volendo soli Lucifero quoad imperium & ministeria actualia subesse, & hoc sensu consentiendo in Luciferum, ut summum & absolutum rerum omnium creaturarum principem.

Est proculdubio S. Thomae hic quaest. 63. art. 18. ad 2. & *prob.* Quia Angeli apostatae peccaverunt ex suggestione & sollicitatione Luciferi. Ergo peccaverunt id volendo vel agendo, ad quod volendum vel agendum sollicitavit eos Lucifer. Atqui superbus ille, qui summum & absolutum in res omnes imperium affectabat, non ad aliud verisimiliter dici potest eos sollicitasse, quam ut in ejus supremum principatum consentirent, eique soli quoad imperium & ministeria actualia subesse vellent. Ergo, &c.

Obj. Si Angeli apostatae peccaverunt, volendo potius subesse Lucifero, quam Deo, peccatum eorum non fuit superbia. Fallum conseq. Ergo, &c. Nego seq. maj. *Prob.* Peccare ex superbia, est peccare ex inordinato amore propriae excellentiae. Atqui Angeli apostatae volendo potius subesse Lucifero, quam Deo, non potuerunt peccare ex inordinato amore propriae excellentiae: *Magis* enim, ut ait S. Thomas art. citato in 2. ubi hanc objectionem proponit, excellentiae repugnat, quod aliquis inferiori subdatur, quam superiori. Ergo, &c.

R. neg. min. Nam Angeli apostatae potuerunt vel potius subesse Lucifero, quam Deo, vel ut sub principatu Luciferi suam ultimam beatitudinem solis viribus naturalibus consequi possent, & sic possent in se ipsis, non in Deo, gloriari; vel ne regerentur per obscuras revelationes, & in omnibus ministeriis actualibus cogerentur intellectum suum capivare, & submittere fidei jugo. At utrovis ex motivo voluerint potius subesse Lucifero, quam Deo,

non voluerunt nisi ex inordinato amore propriae excellentiae: quod à fortiori verum est, si, ut potuerunt, Lucifero potius subesse, quam Deo, voluerunt ex utroque motivo. Ergo, &c.

Ad prob. min. Resp. Inde tantum sequi, ut ait S. Thomas ad 2. *Quod superbus veteris paribus magis vult subesse superiori, quam inferiori. Sed si aliquam excellentiam consequatur sub inferiori, quam sub superiori consequi non possit, magis eligit inferiori subesse, quam superiori. Sic igitur non fuit contra superbiam demonum, quod subesse inferiori voluerunt, in ejus principatum consentientes; ad hoc cum principem & ducem habere volentes, ut virtute naturali suam ultimam beatitudinem consequerentur; vel, ut supra dictum est, ne regerentur, &c. vel denique propter utrumque, hoc est, ut & virtute naturali, &c. & ne regerentur, &c.*

Porro ex primo motivo Angelos apostatas voluisse potius Lucifero subesse, quam Deo, & sic in supremum Luciferi principatum consensisse, videtur ante S. Thomam tenuisse S. Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 1. ubi dicit Deum praecivisse, quod Angeli illi per elationem ipsi sibi ad beatam vitam sufficere voluturi essent: nam velle consequi ultimam suam beatitudinem virtute naturali, & velle sibi ipsi ad beatam vitam sufficere, sunt unum & idem. Bene autem addidit S. Augustinus, *per elationem*: cum enim sibi ad beatitudinem sufficere, sit aliquid proprium Dei; Angeli mali volendo sibi ad beatitudinem sufficere, affectarunt aliquid quod Dei proprium est. At aliquid, quod est Dei proprium, affectare, superbia est.

Obj. Si Angeli apostatae lapsi sunt, quia maluerunt Lucifero subesse, quam Deo, gravius peccaverunt, quam Lucifer. Fallum conseq. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Quia ut apud S. Thomam articulo citato dicitur in 3. *Majus peccatum est velle subesse alteri contra Deum, quam contra Deum alteri velle praesse: quia minus habet de motivo ad peccandum, adeoque majorem voluntatis arguit pravitatem.*

R. neg. seq. maj. Ad prob. R. Majus esse peccatum velle subesse alteri contra Deum, quam contra Deum alteri velle praesse, si cetera sint paria; secus verò non esse majus peccatum. Lucifer igitur gravius peccavit, quam alii Angeli apostatae, propter longè majorem ingratitudinem, quia longè plura & majora à Deo acceperat beneficia, propter longè perfectiorem divinae majestatis, adeoque malitiae peccati cognitionem, quia longè praestantiorum acceperat intellectum, & propter longè majorem voluntatis conatum, & actus intensionem: quia, ut dicit S. Thomas in resp. ad 3. *Angelus non habet aliquid retardans, sed secundum suam totam virtutem movetur in illud, ad quod movetur, sive in bonum, sive in malum. Quia igitur supremus Angelus majorem habuit naturalem virtutem, quam inferiores, intensiori motu in peccatum prolapsus est.*

Quaeres 1. Utrum ex Angelis tot lapsi sint, quot steterunt?

Resp. S. Thomas hic quaest. 63. art. 9. in O. docet plures stetisse, quam lapsos esse. Ratio ejus est, quia peccatum est contra naturalem inclinationem. Ea verò quae contra naturam sunt, ut in paucioribus accidunt: natura enim consequitur suum effectum vel semper, vel ut in pluribus. Suaderi etiam potest haec assertio ex Scriptura: nam dicitur Apocal. cap. 12. *Ecce draco magnus & cauda ejus traherat tertiam partem stellarum Caeli.* Draconis enim nomine Lucifer intelligitur, & consequenter nomine stellarum Caeli, Angeli, qui cum Lucifero ceciderunt, videntur esse intelligendi.

Quaeres 2. Utrum aliqui ex omnibus ordinibus lapsi sint?

Resp. Consequenter ad id quod superius de Lucifero docuimus, eum scilicet fuisse omnium Angelorum supremum, ex omnibus ordinibus aliquos cecidisse; quod probamus autoritate S. Thomae hic quaest. 63. art. 9. ad 3. ubi sic loquitur: *Secundum illos*

illos qui ponunt majorem diabolum de supremo fuisse ordine; probabile est quod de quolibet ordine aliqui ecciderunt: sicut in quolibet ordinem homines assumuntur in supplementum ruine angelice In sacra Scriptura tamen nomina quorundam ordinum, ut Seraphim & Thronorum, demonibus non attribuntur, quia hæc nomina sumuntur ab ardore charitatis, & ab inhabitatione Dei, que non possunt esse cum peccato mortali (addeque nec in demonibus.) Attribuntur autem eis nomina Cherubin, Potestatum & Principatum, quia hæc nomina sumuntur a scientia & potentia, que bonis malisque possunt esse communia, & in demonibus post lapsum remanent.

ARTICULUS VII.

Utrum aliqui ex Angelis, qui cum Lucifera peccaverunt, egerint penitentiam.

RESPONSIO.

Nulli egerunt penitentiam, & sic omnes angeli, qui peccaverunt, fuerunt à Deo damnati.

Prob. Ex Scriptur. Nam 1. Apocal. c. 12. dicitur: Michael & angeli ejus preliabantur cum dracone, & draco pugnat, & angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in Cælo. 2. 2. Petri c. 2. Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. 3. In epist. Judæ: Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. Ecce Scriptura de condemnatione malorum angelorum loquitur sine exceptione, quæ à nobis apponi non posset sine temeritate; cum illius apponendæ nullum sit fundamentum sufficiens.

Ratio autem cur nulli ex angelis lapsis penitentiam egerint, non fuit voluntatis eorum inflexibilitas; si enim à bono ad malum prolabi, ita iterum à malo ad bonum cum gratiæ adiutorio resurgere potuit, ut suo loco probatum est; sed severitas divinæ justitiæ, quæ nullis tempus, & gratiæ auxilium ad agendam penitentiam necessarium concessit, quod aperte significat Scriptura 2. Petri c. 2. verbis modò laudatis.

Ulcior verò tantæ severitatis ratio est, quia angeli peccaverunt ex malitia, non ex carnis fragilitate; cum sint incorporei, addeque passionum expertes, & infirmitatis, quæ cum corpore conjuncta est. Hoc dicit S. Gregorius lib. 9. Moral. cap. 28. Angelorum spiritus, inquit, idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat. Homo verò idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo se ipso minor esset, accepit. Unde & apud respectum judicis argumentum pietatis est hæc eadem infirmitas carnis.

DISPUTATIO IV.

De præsentis demonum statu.

ARTICULUS I.

In quem locum amandati fuerint demones post peccatum suum.

Non pauci inter antiquos Patres docuerunt demones in hoc nostro aere degere ulque ad ultimi Judicii diem, quo dicunt eos in infernum detruendos, ibique in æternum detinendos esse. Unum pro omnibus profero Augustinum, dicentem lib. 8. de Civ. c. 22. Demones esse spiritus nocendi cupidissimos ... qui in hoc quidem aere habitant: quia de Cæli superioris sublimitate dejecti, merito irrefragibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere prædaminati sunt. Et Enarratione in Plal. 148. Ad istum caliginosum, idest, ad hunc aerem tanquam ad carcerem damp-

natus est diabolus, de apparatu superiorum angelorum lapsus cum angelis suis: nam Apostolus hoc de illo dicit (cùm ait:) Secundum principem potestatis aeris hujus, & alius Apostolus dicit: Si enim Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in judicio puniendos servari: infernum hoc appellans, quod inferior pars mundi sit. Nihilominus sit

RESPONSIO.

Dæmones plerique in inferni carcerem deturbati sunt, reliqui degunt in hoc nostro aere.

Prob. 1. pars. Ex Epist. 6. Judæ, ubi dicitur: Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. Et ex 2. B. Petri cap. 2. ubi legitur: Rudentibus inferni detractos (demones) in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. Quibus textibus satisfieri non potest, nisi dicantur demones, aut omnes, aut saltem quoad majorem partem, esse detruşi in inferni carcerem, unde si exeunt idemque, non nisi ad breve tempus exeunt; ut sic in vero sensu damnati ad æternum carcerem dici possint.

Porrò S. Augustini interpretatio non videtur hic locum habere posse. Nam hæc voces, tartarus, infernus, si sumantur in sensu proprio, uti hic debent sumi, carcerem subterraneum significant; & vox caligo non hunc nostrum aerem, sed luteranei carceris tenebras propriè significat. Adde quod loca Scripturæ, quibus utitur S. Doctor, non plus probant, quam aliquos demones in hoc nostro aere degere.

Prob. 2. pars. Ex Script. Nam Apostolus Ephes. c. 2. diabolum vocat Principem potestatis aeris hujus, Spiritum qui nunc operatur in filiis diffidentie. Et c. 6. sic loquitur: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in cælestibus (hoc est, in aere, quem hic Cælum Apostolus nominat, degentibus.) Quem locum exponens Hieronymus ait: Hæc omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cælum & terram medius dividens, inane appellatur, plenus est contrariis fortitudinibus.

Confirmatur utraque pars, 1. Autoritate Eusebii, hæc scribentis lib. 7. præpar. Evangel. cap. 16. Sub isto (Lucifero) innumerabilis quadam aliorum & infinita natio est, similium criminum rea, quæ propter impietatem sorte piorum exclusæ, splendidi illud divinumque domicilium, eamque quæ in Regia fruebatur dignitatem, ac felicem angelicorum cœtuum societatem, cum tartaro, scelèratis omnibus admodum conveniente loco, æquissima Dei præpotentis sententia judicioque damnata, commutavit: quem locum divina littera abyssum ac tenebras appellare solent quo ex numero pars quadam exigua (relatè scilicet ad eos, qui in inferno detinentur inclusi) quæ pietatis Athletis materia segesque virtutis esset, circa terras, lunæque inferiorem aeris regionem à Deo relicta, fœdum illum de multitudine Deorum errorem fabricavit.

2. Autoritate S. Thomæ hic qu. 64. art. 4. in O. Demonibus, inquit, duplex locus pœnalis debetur. Unus quidem ratione suæ culpe, & hic est infernus: alius autem ratione exercitationis humane, & sic debetur eis caliginosus aer. Procuratio autem salutis humane protrahitur usque ad diem judicii. Unde & usque tunc durat ministerium Angelorum, & exercitatio demonum. Unde & usque tunc & boni Angeli ad nos huc mittuntur, & demones in hoc aere caliginoso sunt ad nostrum exercitium. Licet eorum aliqui etiam nunc in inferno sint ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, sicut & aliqui boni Angeli sunt cæcis animabus sanctis in Cælo. Sed post diem judicii omnes mali tam homines, quam Angeli, in infernum erunt, boni verò in Cælo.

ARTICULUS II.

Utrum demones ab igne torquantur.

NOta. Duplex potissimum damnatorum poena distinguitur. Prima consistit in privatione visionis beatificæ, & dicitur poena damni, hoc est, poena quasi configuens essentiam damnationis. Secunda consistit in ignis cruciatu, & dicitur poena sensus, quia ignis naturaliter vim habet cruciandi, & cruciat animam, mediante sensu. Utramque damnatis omnibus non solum hominibus, sed etiam demonibus deberi, probant Scholastici, ex eo quod per peccatum mortale, qui peccat, sive homo sit, sive Angelus, avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam. Unde æquum est, ut qui damnantur, quia non nisi propter peccatum mortale damnantur, & puniantur poena damni: qui enim sponte sese à Deo avertit, dignus est ut in æternum visione Dei careat; & puniantur poena sensus, eaque gravissima, qualis est cruciatus ignis: qui enim inordinatè, & cum Creatoris injuria sese convertit ad creaturam, dignus est ut à creatura gravissimè crucietur.

Nota iterum. Quod demones visione Dei intuitiva sint privati, & ex hac privatione acerbissimum dolorem percipiant, in dubium revocari non potest. Sed quaeritur utrum præter poenam damni patiantur etiam poenam sensus, hoc est, ab igne torquantur? Eos enim non nisi post extremum judicium igne crematum iri tenere multi ex antiquis Patribus, pro quibus omnibus unum hic citamus Augustinum, sic loquentem lib. 13. cap. 24. *Desertores Angeli... ita in secundam mortem post ultimum præcipitabuntur judicium, ut nec illic vita careant: quandoquidem etiam sensu, cum in doloribus futuri sint, non carebunt.* Nihilominus sit

RESPONSIO I.

Demones, qui sunt in inferni carcere, torquentur ab igne.

Prob. Quia animæ reproborum hominum statim post mortem præcipitantur in infernum, ibique animæ eorum, qui cum actuali mortali peccato mortui sunt, pro meritis suis ab igne cruciantur. Ergo pariter demones, qui illic sunt, cruciantur ab igne. Consequentia negari non potest: non enim est credibile, Deum demonibus, quam animabus reprobis, indulgentiorem esse. Antecedens verò constat ex Florentina Synodo in litteris sanctæ unionis, ubi ex unanimi Græcorum & Latinorum consensu definitur, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penis tamen disparibus puniendas*, (quia nimirum illic qui cum solo originali decedunt, sola poena damni; qui verò decedunt cum actualibus mortalibus, poena damni simul & poena sensus plectuntur.)

Hoc argumentum suggerit S. Thom. hic q. 64. a. 4. ad 3. *Aliqui dixerunt, inquit, usque ad diem judicii differri poenam sensibilem tam demonum, quam animarum, & similiter beatitudinem sanctorum differri usque ad diem judicii: quod est erroneum, & repugnans Apostoli sententiæ, qui dicit 2. Cor. 5. Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, domum habemus in Cælo. Alii verò licet hoc non concedant de animabus, concedunt tamen de demonibus. Sed melius est dicendum, quod idem judicium sit de malis animabus & malis Angelis: sicut idem judicium est de bonis animabus & bonis Angelis.*

RESPONSIO II.

Demones in inferno torquentur ab igne corporeo. Est contra Origen. lib. 2. Principiorum cap. 11. docentem non verò & corporeo igne, sed tantum metaphoricè damnatos in inferno cruciari. Sententiam ejus S. Hieronymus fideliter exponit in sua ad Avitum epistola, his verbis: *Ignis quoque gehennæ, & tormenta, quæ Scriptura sancta peccatoribus comminatur, non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum, quando Dei virtute & potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur... & quidquid fecerimus in*

vita, vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur; ac præteritas voluptates mens intuens, conscientia puniuntur ardore, & poenitudinis stimulis confoditur. Itaque ignem inferni Origenes constituit in continuis & acerbissimis conscientie remorsibus, præteritorum peccatorum memoria excitatis.

Mentem Origenis secutus esse videtur S. Ambrosius lib. 7. in Luc. c. 14. *Neque, inquit, corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis. Sed hæc idè, quia... si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis, tanquam crudelitatem quandam contrahat veterum & recentiorum delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur.* Et Theophylact. in cap. 9. Marci, vermem & ignem similiter exponens metaphoricè: *Vermis autem, inquit, & ignis, qui peccatores puniunt (in altera vita,) uniuscujusque conscientia est, & memoria eorum, quæ in hac vita turpia commissa sunt, quæ tanquam vermis consumit, & sicut ignis incendit.* Sed contra illos

Prob. Resp. 1. Ex Scriptura in hunc modum. Demones in inferno eodem cremantur igne, quo cremabuntur homines reprobi, juxta illud Christi Matth. cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus.* Atqui homines reprobi in inferno cremabuntur igne verò & corporeo. Ergo, &c.

Prob. min. Ex veteri Testamento. Nam dicitur Eccli. c. 7. *Vindicta carnis impii ignis & vermis.* Et c. 21. *Stuppa collecta Synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.* Isaïæ c. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et cap. ult. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Prob. Pariter ex novo Testamento. Nam dicitur Matth. c. 3. *Paleas comburent igni inextinguibili.* C. 5. *Qui dixerit: Fæne, reus erit gehennæ ignis.* Cap. 7. *Omnis arbor, quæ non fert fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* C. 13. *Colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis.* Et Marci c. 9. *Bonum tibi est lucrum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur: omnis enim igne salietur.* Et Apoc. c. 14. *Cruciabitur igne & sulphure, &c.* Quoties igitur Scriptura, tam vetus, quam nova, loquitur de tormentis reproborum hominum in altera vita, ignem commemorat. Verba autem Scripturæ secundum proprietatem accipienda sunt, quando nihil obstat; & hic quod obstat, nihil potest afferri. Utraque igitur Scriptura, tam vetus, quam nova, de verò & corporeo igne intelligenda est. Ergo, &c.

Prob. Resp. 2. Ex Patribus. S. Cyprianus in sua ad Moysen & Maximum Epistola de laude martyrii, sic loquitur: *Sæviens locus, cui gehennæ nomen est, magno plangentium murmure & gemitu, & eructantibus flammis per horrendas spisse caliginis noctes sæva semper incendia camini fumantis expirat. Globus ignium artatus obstruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sævienti plurima genera tum in se ipse convolvit, quidquid ardoris emissi edax flamma cruciavit.*

S. Hieronymus in epist. ad Avitum, inter Origenis errores numerat, quod inferni ignem, quo torquentur impiorum animæ, metaphoricè interpretetur, eumque constituat in conscientie remorsibus.

S. Augustinus lib. 21. c. 10. hæc habet: *Gehennæ illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum, & demonum, solida hominum, ærea demonum, aut tantum hominum corpora cum spiritibus, demones autem spiritus sine corporibus herentes, fumendo poenam, non impetriendo vitam, corporibus ignibus. Unus quippe utrisque ignis erit, sicut veritas dicit.*

S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. sic interrogatum Petrum: *Gehennæ ignem esse incorporeum, an corporeum fateris?* respondentem inducit his verbis: *Ignis gehennæ*

gehennae corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari. Tum suo nomine subiicit: Certè reprobis veritas in fine dictura est: sic in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, Si igitur diabolus ejusque angeli, cum sint incorporei, corporei sunt in igne cruciandi, quid mirum si anime, & antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?

S. Isidorus Hisp. lib. 2. Sent. c. 31, sic ait: Duplex damnatorum pœna est in gehenna; & mentem urit tristitia, & corpus flamma, juxta vicissitudinem; ut qui mente traxerunt quod persicerent corpore, simul & animo puniantur & corpore.

Hugo Vict. lib. 2. de Sacrament. p. 16. c. 3. scribit hac: Verissimè autoritate sacri eloquii & catholice veritatis probatur testimonio, corporali & materiali igne animas etiam nunc ante susceptionem corporum cruciari. Si enim demonibus, qui sunt spiritus, corporalis ignis preparatus dicitur; quid mirum est si anime a corporibus exute, corporali igne cruciarentur?

S. Thomas ignem, quo cruciantur dæmones, esse verum & corporeum ignem, manifestè supponit ad 2. dist. 6. quæst. 1. art. 3. ad 6. ubi sic ait: Dicendum, quod semper (dæmones) igne infernali ardent, non tamen eis semper presente secundum locum, quia non agit corporali modo, calefaciendo & desiccando, sed modo spirituali: unde non requiritur determinata distantia sicut in actione corporali.

Accedit communis sensus Scholasticorum omnium, imò communis sensus Ecclesiæ & Catholicorum. Unde sic adhuc argumentor breviter. Ignis, quo dæmones & impiorum animæ torquentur in inferno, est verus & corporeus ignis, si loca Scripturæ à nobis laudata, accipienda sunt secundum proprietatem verborum. Atqui quoddam sic accipienda sunt, est communis Ecclesiæ sensus. Ergo ignis, quo dæmones, &c. est verus & corporeus ignis; neque hoc negari potest sine temeritate, & errore in fide. Imò facillè credimus esse rem de fide, quamvis nondum expressè definita fuerit ab Ecclesiâ: ad hoc enim ut veritas aliqua sit fidei nostræ articulus, expressa Ecclesiæ definitio non requiritur; sed sufficit, si contineatur in Scripturâ, de cujus sensu non ambigitur in Ecclesiâ, quia Catholici eam eodem modo communiter accipiunt. Quod pluribus exemplis ostendi potest.

Obj. Cum Scriptura loquitur de verme damnatorum, metaphoricè accipienda est. Ergo similiter accipienda est metaphoricè, cum loquitur de damnatorum igne. R. Cum Scriptura loquitur de verme damnatorum, communiter quidem intelligitur à Scholasticis de verme improprie & spiritualiter sumpto, hoc est, de conscientie remorsu. At sic eam intelligi necesse non est: potest enim intelligi de verme corporeo, quo cruciabantur corpora damnatorum hominum in inferno post extremum judicium, ut probabiliter colligitur ex c. 7. Eccli. ubi dicitur: *Vindicta carnis impii ignis & vermis*; & ex c. 16. Judith, ubi dicitur: *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum*.

Scriptura itaque intelligi potest de verme incorporali, & metaphoricè sumpto; potest etiam intelligi de corporali verme, quia neutra pars pro se habet communem Scholasticorum simul ac Patrum & Ecclesiæ sensum. At utrovis modo de verme exponatur, non potest exponi nisi de vero & corporeo igne, quia sic communiter exponitur non solum à Scholasticis, sed etiam à Patribus & ab Ecclesiâ, seu à fidelibus. In exponendis autem Scripturis, communi Scholasticorum, Patrum, & Ecclesiæ sensui contradicere, temerarium saltem est, & erroneum.

Hinc nostræ responsioni planè consonat S. Augustinus lib. 21. de Civ. c. 9. *Qui penas, inquit, & anima & corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne urit corpus, animam autem rodi quodam modo verme memoris affirmant. Quod etsi credibilis dicitur, quia utique absurdum est, ibi dolorem aut corporis, aut anime desursum: ego tamen facillè existimo, ut ad corpus dicam utrumque pertinere,*

re, quam neutrum; & ideo tacitum in illis divina Scripturæ verbis animi dolorem, quoniam consequens esse intelligitur, etiamsi non dicatur, ut corpore sic dolente, animus quoque sterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe in veteribus Scripturis: *Vindicta carnis impii vermis & ignis*. Potuit brevius dici, *Vindicta impii*; Cur ergo dictum est, *Carnis impii*, nisi quia utrumque, id est, & ignis & vermis, pœna erit carnis? Eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc propriè, illud tropicè; aut utrumque propriè corpori.

Hic S. Doctor 1. probat sententiam eorum, qui vermem incorporaliter, seu pro merore animi & sterili pœnitentia, qua cruciantur damnati, & corporaliter ignem accipiunt. 2. Sed magis probat sententiam fumentem utrumque, vermem scilicet & ignem corporaliter. 3. Sententiam hanc probat autoritate Scripturæ. 4. Liberum tamen relinquit lectori, ut alterutrum è duobus eligat, videlicet aut utrumque, vermem & ignem, corporaliter; aut vermem incorporaliter, & corporaliter ignem accipere. Igitur juxta S. Doctorem, vermis sumi potest corporaliter, vel incorporaliter, sic tamen ut melius sumatur corporaliter. Sed si corporaliter siue incorporaliter vermis sumatur, ignis non nisi propriè & corporaliter sumi potest, propter communem scilicet Ecclesiæ sensum, quem exploratum habebat S. Doctor.

ARTICULUS III.

Quomodo dæmones in inferno ab igne torquantur.

AD quæstionem hanc sic respondet S. August. l. 21. de Civ. c. 10. *Quomodo in eo (igne infernali) erit etiam pœna spirituum malignorum? idem quippe ignis erit supplicio scilicet hominum attributus & dæmonum nisi quia sunt quedam sua etiam demonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, ex isto aere crasso atque humido, cujus impulsu, vento flante, sentitur ... Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseveret, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi?*

Mirum hunc modum, quo dæmones cruciantur igne infernali, constituit in alligatione ad hunc ignem S. Thomas, ut patet ex quæst. 64. art. 3. ad 3. ubi ait dæmones, qui in nostro aere degunt, non minus ab infernali igne torqueri, quam ii, qui sunt in inferno, quia sciunt & perpetuè advertunt alligationem illam sibi deberi, sequè tandem aliquando ad ignem illum alligandos in æternum, velut in carcere, in quo inviti detinebuntur, & unde nunquam aliò migrare poterunt: *Dæmones, inquit, licet non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in aere isto caliginoso; tamen ex hoc ipso quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur. Unde dicitur in quadam glossa Jacobi 3. quod portant secum ignem gehennae, quocumque vadant.*

Sed hæc sententia, quam multi sequuntur, non paucas nec leves patitur difficultates, quas superfluum esset hic expendere. Suarez docet ignem torquere dæmones, obediencialiter in eis producendo qualitatem spiritualem, qua deturpatur eorum substantia. At spiritualis hæc qualitas, producta à substantia purè corporea, & substantiæ angelicæ deturpativa, malè audit in vera philosophia. Alii aliter cruciatum dæmonum explicant, sed non meliori successu. Quid in re tam difficili nobis occurrat, breviter exponemus.

Nota 1. Dæmones verè & propriè torqueri ab igne infernali. 2. Et ita dæmones verè & propriè comburi ab igne infernali: ignis enim non potest verè & propriè torquere, nisi verè & propriè comburendo. 3. Et ita ignem infernalem verè ac propriè substantiam dæmonum alterare modo sibi proprio: non enim potest ignis verè ac propriè aliquod subjectum comburere,

rere, nisi illud aut destruendo, aut alterando modo sibi proprio. Infernalis autem ignis nec destruit, nec destruere potest substantiam demonum. Adde quoddam destructio subjecti, quod comburitur, non sit combustio, sed effectus combustionis. 4. Et sic ignem infernalem torquere demones, substantiam eorum alterando modo sibi proprio. Quod ut explicetur amplius,

Nota iterum. In homine, qui vivus comburitur, & ita ab igne verè ac propriè torquetur, duo sunt, in quibus cruciatus ejus consistit; unum ex parte corporis, nempe vehemens fibrarum corporearum agitatio, causata à perturbato partium ignearum motu; & alterum ex parte animæ, nempe vitalis actio, qua anima illam fibrarum corporis agitationem percipit, & percipiendo, immediatè & formaliter afficitur dolore illo specifico, qui ex combustionem oritur.

Ignis igitur verè ac propriè torquet hominem, qui vivus comburitur, quia perturbato motu partium suarum, vehementer agit modo sibi proprio fibras corporis; & sic agitando fibras corporis, sic corpus alterat; & sic alterando corpus, animam determinat ad specificam perceptionem, qua formaliter & immediatè affigitur specificè, & quæ proinde est dolor ille specificus, quem causat combustio.

Hinc corpora damnatorum æternum comburentur in inferno, & tamen nunquam destruentur; quia ignis infernalis, perturbato motu partium suarum, vehementer agitabit modo sibi proprio fibras corporis, Deo per miraculum earum dissolutionem semper impediens. Hinc homines damnati verè ac propriè æternum cruciabuntur ab igne infernali, quia vehementem fibrarum corporearum agitationem, seu talem corporis alterationem ab igne infernali causatam, tali modo percipient, & tali modo percipiendo, hoc ipso affiguntur tali modo, seu talem dolorem percipient.

Ignis igitur infernalis verè ac propriè comburit demones, quia actione sibi propria substantiam eorum alterat, illam perturbato motu partium suarum agitando modo sibi proprio. Comburendo autem demones, illos verè ac propriè torquet, quia talem substantiæ suæ alterationem, ab eo causatam, demones sive naturaliter, sive obediencialiter tali modo, qui tactui proprius est, percipiendo, hoc ipso immediatè & formaliter affiguntur tali modo, adeoque tali afficiuntur dolore, & quali afficitur anima unita corpori, quando corpus ab igne comburitur, seu tali modo alteratur.

Sed queritur, Quomodo ignis infernalis possit perturbato motu partium suarum, substantiam angelicam, quæ tota incorporea est, alterare & agitare modo sibi proprio, & ad veram ac propriam combustionem requirere? Ad hoc respondetur, sufficere si Deus substantiam angelicam reddat impenetrabilem igni infernali: tunc enim relatè ad ignem infernalem substantia angelica se habebit ad modum corporis: & partibus ignis infernalis impetum imprimat superiorem naturali resistentia Angeli: nam his duobus suppositis, intelligitur Angeli substantiam agitari posse ab igne in ipsam quaquaversum impingente.

DISPUTATIO ULTIMA.

De ordinibus, custodia, cultu, & invocatione sanctorum Angelorum.

ARTICULUS I.

De Ordinibus Angelorum.

Sanctus Dionysius lib. 1. de cœlesti hierarchia, novem Angelorum ordines primus distinxit, Seraphim scilicet, Cherubim, Thronos, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangelos, & Angelos.

Eisdem ordines post Dionysium enumerat & pro-

Simonnet Theol. Tom. I.

bat Gregorius Magnus homil. 34. ubi hæc scribit: *Novem verò Angelorum ordines diximus: quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus Angelos, Archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, Cherubim, atque Seraphim. Esse namque Angelos & Archangelos, penè omnes sacri eloqui pagina testantur. Cherubim verò atque Seraphim sæpe, ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, idest, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, atque Dominationibus, conjunguntur Throni, quinque sunt ordines, qui specialiter exprimuntur, Quibus dum Angeli, & Archangeli, Cherubim, atque Seraphim adjuncta sunt, proculdubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur. Gregorium Doctores, qui post illum ea de re scripserunt, sequuntur omnes.*

Novem illos ordines Angelorum Dionysius dividit in tres hierarchias, quarum unaquæque tres ordines continet: prima quidem Seraphim, Cherubim & Thronos; secunda Dominationes, Virtutes, & Potestates; tertia Principatus, Archangelos, & Angelos. Aliqui paulò aliter ordines distribuunt in hierarchias, & in secunda secundo loco ponunt Principatus, in tertia verò primo loco Virtutes.

Quæres. Utrum Angeli ex omnibus ordinibus mittantur ad homines?

Resp. Quod Angeli mittantur ad homines, apertè dicit Scriptura, ut Luc. cap. 7. ubi legitur: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, &c.* Duplex autem distinguenda est Angelorum missio, una scilicet visibilis, qualis fuit missio Gabrielis ad B. Virginem, & altera invisibilis, qualis est Angelorum tutelarium, qui à Deo ad custodiam hominum mittuntur. Sed utrum ex omnibus ordinibus Angeli mittantur, sive visibiliter, sive invisibiliter, controversia est.

Negar S. Thomas hic qu. 112. art. 2. in O. Quod concludit his verbis: *Superiores Angeli nunquam ad exterius ministerium mittuntur, & citat pro se Dionysium.* Sed opposita sententia affirmans videtur omnino esse tenenda, propter verba Apostoli dicentis, Hebr. cap. 1. *Nomine omnes sunt administratoris spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Cum enim Apostolus probare velit Filium Dei omnibus omnino Angelis antecellere, hinc to omnes intelligi debet absque omni restrictione, adeoque ex omnibus ordinibus Angelos, modò hos, modò illos, à Deo mitti ad exterius ministerium, dicendum est. Quod confirmari posset auctoritate multorum Patrum, quorum testimonia brevitate studio præmittimus.

ARTICULUS II.

De custodia Angelorum.

RESPONSIO I.

Homines à Deo in custodiam sanctorum Angelorum aliquomodo traditi sunt.

Est de fide, quia habetur expressè revelata in sacris Scripturis. Nam dicitur Genes. cap. 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Et Psal. 33. *Immetet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Et Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Et Matth. cap. 18. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Et Act. cap. 12.

Angelus

Angelus ejus est. Et Hebr. c. 1. Nonne omnes sunt ad-
ministratores spiritus, in ministerium missi propter eos
qui hereditatem capiunt salutis? Accedit unanimis
consensus Patrum, de quibus modo.

RESPONSIO II.

Singulis hominibus singuli Angeli ad custodiam
deputantur.

Quamvis juxta communem Doctorum senten-
tiam non sit de fide, est tamen ita certa, ut con-
trarium asserere temerarium sit & erroneum. Nam
1. illam aperte insinuat Scriptura, ut Matth. c. 18.
ubi dicitur: *Angeli eorum in Calis semper vident
faciem Patris*, Et Act. cap. 12. ubi dicitur: *Ange-
lus ejus est*.

2. Ita communiter sentiunt Patres; ut Origenes
hom. 11. in c. 18. Numer. Sic, inquit, dicebatur in
Aitibus Apostolorum, quia Angelus Petri esset, qui
pulsaret ad ostium. Similiter ergo intelligitur esse &
alius Pauli Angelus, sicut est Petri, & alius alie-
rius Apostoli, & singulorum per ordinem.

Gregor. Thaumaturgus orat. panegyrica in Origenem;
Nos, inquit, preter communem omnium gubernato-
rem, hunc etiam (predicamus) quisquis est privatim
pedagogus noster (Angelus,) qui re ipsa pueri & in-
fantes sumus. Qui cum in ceteris omnibus bonus sem-
per nutritor & curator meus fuerit, ... ut olim me,
ita nunc quoque alit, & erudit, ac manu ducit.

Basilus lib. 3. contra Eunom. Quod singulis fide-
lium, inquit, adstet Angelus, ut pedagogus quidam
& pastor ad vitam dirigendam, nemo contradicet,
qui verborum Domini recordatur, dicentis: Ne con-
temnatis unum ex his pusillis, &c.

Chrysostomus hom. 3. in cap. 1. Epist. ad Coloss.
Unusquisque fidelis, inquit, habet Angelum. Nam
etiam ab initio unusquisque vir probus habebat An-
gelum, sicut dicit Jacob: *Angelus qui pascit me, &
liberat me a juventute mea*. Si ergo habemus Ange-
los, modeste nos geramus, tanquam nobis adstet qui-
dam pedagogus.

Theodoretus q. 3. in Gen. Quod Angeli, inquit,
substantiam habeant circumscriptam, nemo, ut arbi-
tror, repugnat: cum Dominus dixerit, singulos ho-
mines subesse singulorum Angelorum imperio. Videte
etiam, inquit, ne contemnatis, &c.

Hieronymus ad locum Matth. citat. hæc habet: Ma-
gna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu
nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.

Bernardus lib. 4. de consid. Putemus, inquit, An-
gelos dici ... qui singulis hominibus dari creduntur,
missi in ministerium, secundum Pauli doctrinam, pro-
pter eos qui hereditatem capiunt salutis.

3. Idem docet S. Thomas hic quæst. 113. art. 3.
in O. cui consentiunt Hugo Vict. tract. 2. Summ.
Sent. cap. 6. & Magister lib. 2. dist. 11. qui sic con-
sentiunt singulos homines à singulis Angelis custo-
diri, ut simul velint unum Angelum successivè plu-
res homines custodire, quia putant hominum ab ex-
ordio mundi usque ad finem successivè existentium,
majorem esse numerum, quam Angelorum. Quod
principium est incertum.

4. Denique accedit magnus fidelium omnium,
adeoque Ecclesiæ consensus; quanquam hac de re
nihil hæcenus definierit sive per Concilia genera-
lia, sive per summos Pontifices. Neque, quod præ-
termittendum non est, alium hic adversarium habe-
mus præter Calvinum.

RESPONSIO III.

Omnibus hominibus Angeli deputantur ad custo-
diam.

Ita docet S. Thomas hic quæst. 113. art. 4. in O. &
in resp. ad 3. dicit expressè, custodes Angelos dari
omnibus reprobis & infidelibus, imò nec ipsum An-
tichristum hoc auxilio privatum iri. Verba ejus sunt:
*Dicendum, quod sicut præfati & infideles, & etiam
Antichristus, non privantur interiori auxilio natura-
lis rationis: ita etiam non privantur exteriori auxi-*

lio totius naturæ humane divinitus concessæ, scilicet cu-
stodia Angelorum: per quam etsi non juvantur, quan-
tum ad hoc quod vitam eternam bonis operibus me-
reantur; juvantur tamen quantum ad hoc quod ab
aliquibus malis retrahantur, quibus & sibi ipsis &
aliis nocere possunt. Nam & ipsi demones arcentur
per bonos Angelos, ne noceant quantum volunt. Et
similiter Antichristus non tantum nocebit, quantum
vellet.

Idem cum S. Thomas sentiunt communiter schola-
stici Doctores, & prob. 1. ex Patribus, Theodoretis
scilicet, Hieronymo, & Bernardo, quibus addo Hu-
gonem Vict. locis laudatis: nam generaliter loquun-
tur. Quantum autem attinet ad Basilium & Chryso-
stomum, cum dicunt fidelibus vel iustis deputari An-
gelos custodes, non addunt particulam exclusivam;
atque si non asserunt, saltem non negant alios ho-
mines ab Angelis custodiri.

Prob. 2. Cum S. Thomas sic loquente in O. Dicen-
dum quod homo in statu vite istius constitutus est quasi
in quadam via, qua debet tendere ad patriam. In
qua quidem via multa pericula homini imminet, tum
ab interiori, tum ab exteriori. Et ideo sicut homini-
bus per viam non tutam ambulanti bus dantur custo-
des; ita & cuilibet homini, quando viator est, cu-
stos Angelus deputatur. Quando autem jam ad vite
terminum pervenerit, jam non habebit Angelum cu-
stodem: sed habebit in regno Angelum conregnan-
tem, in inferno demonem punientem.

Itaque juxta S. Doctorem, omnes homines, quan-
diu mortalem hanc vitam vivunt, viatores sunt, &
cum auxiliis à Deo oblatis possunt ac debent ad pa-
triam tendere. Quare Deus summè bonus ac miseri-
cors erga omnes homines, se gerit, quomodo ipsi
homines erga alios sese gerunt. Sicut igitur ho-
mines cum alios aliquò destinant, dant illis custodes,
cum iter suscipiendum periculosum est: ita Deus
omnes homines in hac vita per viam periculis ple-
nam ad cælestem patriam tendere volens, & ut ad
illam omnes perveniant, sincerè desiderans, deputat
illis omnibus Angelos via duces atque custodes, à
quibus dirigi possint, atque contra tentatores damo-
nes defendi. Hinc

Sic adhuc argumentor, Deus omnes homines sal-
vos fieri sincerè desiderat. Ergo neminem ex repro-
bis, sive fideles sint, sive infideles, sive baptizati sint,
sive non baptizati, à mediis generalibus, & ad salu-
tem consequendam idoneis excludit. Atqui ad media
illa generalia, & ad salutem consequendam idonea
pertinet Angelorum custodia. Ergo Deus ab Angelo-
rum custodia excludit neminem ex reprobis. Sed &
neminem ex prædestinatis excludit. Ergo omnes om-
nino homines habent Angelum custodem.

Obj. Custodia Angelorum inutilis est reprobis ho-
minibus. R. neg. Nam 1. homines reprobi à custodi-
bus Angelis jvari possunt, & re ipsa, nisi sibi ipsi
deessent, juvantur ad consequendam salutem æter-
nam. 2. Homines reprobi juvantur ab Angelis custo-
dibus ad hoc ut non tantum damnentur, quantum
damnarentur, si custodem Angelorum providentia
desituerentur: nam, ut dicit S. Thomas, ab Ange-
lis custodibus retrahuntur ab aliquibus malis, quibus
sibi & aliis nocere possent; & sic impediuntur ne
tantum peccent, quantum custodia angelica desitu-
ti peccarent. Vide S. Thom. hic q. 113. art. 5. ad 1.

Obj. Apostolus aperte significat, solis prædestina-
tis deputari Angelos custodes, cum de Angelis ait
Hebr. cap. 1. Nonne omnes sunt administratores spi-
ritus, in ministerium missi propter eos, qui heredi-
tatem capiunt salutis? Resp. neg. Nam Apostolus di-
cendo Angelos in ministerium mitti propter electos,
non hoc ipso negat mitti etiam propter non electos,
sic dictos, non quia Deus nullam, sed quia non ab-
solutam & efficacem habet voluntatem illos salvandi.
Sed solum vult Apostolus Angelos propter electos in
ministerium mitti ex primaria & principali intencio-
ne Dei, qui primario & principaliter vult omnia,
quæ hic sunt, in bonum electorum cooperari.

Et

Et verò cum Deus Angelos custodes deputat hominibus reprobis, deputat non solum ut ab Angelis custodibus homines reprobi juventur ad salutem consequendam, si velint, bene utendo mediis aliis, tum internis, tum externis, à Deo oblati; sed etiam ut ab Angelis custodibus homines reprobi retrahantur ab hoc quod velint nocere electis, quantum possent; si ve, quod eodem redit, ut ab Angelis custodibus corceantur demones, ne instigationibus suis homines reprobos impellant ad tantum, quantum possent, electis nocendum. Unde angelica reproborum hominum custodia redundat in bonum electorum, propter quos proinde rectè dicitur simpliciter, administratorios spiritus in ministerium mitti.

RESPONSIO IV.

Quilibet homo Angelum custodem habet à primo instanti suæ natiuitatis.

Prob. 1. Ex verbis Christi Matth. c. 18. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, &c.* Ex quibus verbis patet hominem adhuc parvulum, & ante usum rationis, habere Angelum custodem. Ergo habet à primo instanti natiuitatis: non enim est ratio cur Angelum custodem non accipiat, nisi post primum, aut secundum, aut tertium, &c. annum à natiuitate; neque minis indiget Angelo custode à primo natiuitatis instanti, quam post primum, aut secundum, aut tertium, &c. annum à natiuitate ante usum rationis; quia demon non minis potest ei nocere à primo natiuitatis instanti, quam, &c.

Prob. 2. Autoritate S. Hieronymi verbis supra relatis in Resp. II. & S. Thoma hic q. 113. art. 5. in O. qui tertio loco, hanc proponit objectionem: *Pueri ... cum sunt in utero materno, non deputantur eis Angeli ad custodiam. Non ergo statim à natiuitate hominibus Angeli ad custodiam deputantur.*

Sic autem respondet: *Dicendum, quod puer, quando est in materno utero, non totaliter est à matre separatus, sed per quandam colligationem est quodam modo adhuc aliquid ejus: sicut & fructus pendens in arbore, est aliquid arboris. Et ideo probabiliter dici potest, quod Angelus qui est in custodia matris, custodiat prolem in matris utero existentem. Sed in natiuitate quando separatur à matre, Angelus ei ad custodiam deputatur.*

RESPONSIO V.

Angeli nunquam totaliter deserunt in hac vita homines, ad quorum custodiam deputati sunt.

Ita S. Thomas hic q. 113. art. 6. qui hanc assertionem sic probat in Sed contra: *Demonones nos semper impugnant, secundum illud 1. Petri 5. Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret. Ergo multo magis boni Angeli semper nos custodiunt.* Et in O. art. Custodia Angeli ... est quedam executio divina providentia circa homines facta. Manifestum est autem, quod nec homo, nec res aliqua totaliter divina cura subtrahitur ... sed in tantum Deus secundum ordinem sue providentia dicitur hominem derelinquere, in quantum permittit hominem pati aliquem defectum vel poenæ vel culpe. Similiter etiam dicendum est, quod Angelus custos nunquam totaliter dimittit hominem, sed ad aliquid interdum eum dimittit: prout scilicet non impedit, quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, secundum ordinem divinorum judiciorum.

Obj. Angeli apud Hier. cap. 51. dicunt: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* R. Cum S. Thoma ibidem: *Secundum hoc Babylon & domus Israel ab Angelis derelictæ dicuntur, quia Angeli earum custodes non impediverunt, quin tribulationibus subderentur.*

Obj. Patres aliqui docent homines peccando, Angelos custodes à se repellere. R. Non sic Patres illos

loqui, quod Angeli custodes omnino discedant, sed quia in poenam peccati commissi aliquid de actuali custodia exercitio remittunt, & quidem secundum divinorum judiciorum ordinem.

Obj. Angeli custodes aliquando in Cælum redeunt. Ergo aliquando nos derelinquunt. R. Cum S. Thoma art. citato ad 3. *Angelus est interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quantum ad effectum custodia: quia etiam cum est in cælo, cognoscit quid circa hominem agatur. Nec indiget mora (longa scilicet) temporis ad motum localem, sed statim potest adesse.*

RESPONSIO VI.

Singula Regna habent Angelos custodes.

Prob. Ex communi Patrum consensu. Pro Græcis Patribus sit S. Basilii lib. 3. cont. Eunom. ubi sic loquitur: *Angeli omnes, ut appellationis unius, sic ejusdem sunt nature inter se: atamen alii ipsorum gentibus prepositi sunt, alii verò fidelium singulos consequuntur. Quanto autem gens uni viro preponenda est, tanto majorem necesse est Angelis, qui gentis principatum habeat, esse dignitatem, dignitate eorum, quibus singulorum tutela commissa est. Quod verò rursus sint quidam Angeli universarum gentium prepositi, Moyses nos per Canticum docuit. & sapiens Daniel in visione Angeli audivit ipsum dicentem: Quoniam Princeps regni Persarum restitit mihi: & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adiutorium meum, &c.*

Pro Latinis verò sit S. Hieronymus in commentar. ad cap. 7. Danielis, ubi sic ait: *Quatuor ventos celi, quatuor arbitror Angelicas potestates, quibus principalia regna commissa sunt. Et in comment. ad cap. 10. ubi hæc habet: Restitit autem Princeps, idest, Angelus Persarum, faciens pro credita sibi provincia, ne captivorum omnis populus dimitteretur. Singulas etiam dioceses habere suos Angelos tutelares, docebat Origenes homil. 20. in Num. Secundum ea, inquit, quæ Joannes in Apocalypsi scribit, unicuique Ecclesia generaliter Angelus præest. Et S. Ambros. lib. 2. in Luc. Non solum Episcopos, inquit, ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit. Et S. Gregor. Nazianz. orat. 32. Nec enim, inquit, mihi dubium est, quin alii (Angeli) aliarum Ecclesiarum præsidet ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Joannes me docet.*

Quod si particulares Ecclesiæ suos Angelos tutelares habent, à fortiori dicendum est universalem Ecclesiam suam quoque tutelarem Angelum habere. Hunc autem esse Michaelem Archangelum, quem etiam Synagoga præfuisse docet vetus Scriptura, communis est fidelium sensus, & probant, 1. variæ ejusdem Michaelis apparitiones, tum in Occidente tum in Oriente factæ. 2. Plurimæ Basilicæ in toto terrarum Orbe in illius, ut universalis Ecclesiæ principis & patroni, honorem edificatæ.

Quæres. Utrum singuli homines, sicut habent Angelum custodem, ita etiam habeant demonem tentatorem.

Resp. Quod singulis hominibus demonem tentatorem, non quidem Deus, sed Lucifer, Dei simia, deputet, docuere 1. inter veteres Patres nonnulli, ut S. Gregorius Nyssen. in lib. de vita Moysis, ubi hæc scribit: *Est sermo ex majorum traditione fidem sibi vindicans, qui dicit ... Deum ... Angelum quemdam ex iis, qui naturam corporis expertem sortiti sunt, adhibuisse ad uniuscujusque vitæ tutelam ac præsidium: at ex adverso nature corruptorem (Luciferum) pari machinatione contra niti, & pravo quodam ac malefico adjuncto demone, humane vitæ perniciem afferre.* 2. Magister lib. 2. dist. 11. & cum eo alii Scholastici tum veteres aliqui, tum recentiores non pauci.